

ANTONII STÖRCK,

SACRÆ CÆSAR. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARII AULICI,
ARCHIATRI, ET IN NOSOCOMIO CIVICO PAZMARIANO PHYSICI,

LIBELLUS
SECUNDUS,

QUO CONFIRMATUR:

CICUTAM

NON SOLUM USU INTERNO TUTISSIME EXHIBERI, SED ET
ESSE SIMUL REMEDIUM VALDE UTILE IN MULTIS
MORBIS, QUI HUCUSQUE CURATU IMPOSSIBILES
DICEBANTUR.



VINDOBONÆ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆS. REG.
MAJEST. AULÆ TYPOGRAPHI.

MDCC LXI.

AUGUSTISSIMÆ
ROMANORUM
IMPERATRICI
MARIÆ THERESIÆ,
&c. &c. &c.
DOMINÆ
SUÆ CLEMENTISSIMÆ

ANTONIUS STÖRCK.

AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX!

*S*UMMA TUA Clementia, qua pri-
mum de cicuta libellum accepisti, me
incitavit ad hunc laborem ulterius con-
tinuandum, perficiendum.

*Nova itaque tentamina cum eadem
planta institui, morborum historias &
curationes magna diligentia adnotavi,
& ex his secundum hoc volumen com-
posui.*

*Valde utilia continentur, & demon-
stratur evidenter posse dirissimos mor-
bos sola cicuta levare, curari.*

*Multi nunc servantur ægri, qui sine
hoc remedio interiissent.*

*Cum vero omnia TIBI, AUGUS-
TISSIMA DOMINA! sint grata,
quæ in emolumentum reipublicæ fiunt,
spem habeo fore, ut & hocce opuscu-
lum, TUÆ MAJESTATI sacrum,
benigne recipias.*



P R Æ F A T I O.

QUO sæpius cicutam ægris exhibeo, eo majorem semper in hac planta virtutem & efficaciam admiror.

Innumeri fere sunt morbi, in quibus optime convenit, conducit.

Nihilominus nequaquam opus est, ut multa cicutæ encomia hic recitem, cum ipsa experimenta, accuratissime instituta, loquantur.

Gratu-

Gratulabar mihi frequenter, & gaudebam multum, dum vidi ægros ab aliis pro perditis habitos, jamque fato relictos, mea cicuta revixisse, & convalescuisse integerrime.

Quidne homini sanitate charius?

Impendam propterea omne tempus, quod mihi a labore necessario superfuerit, ad eruenda & detegenda talia remedia, quæ morbos graves & curatissima summa difficiles debellarent, fugarent.

Nec inani felicis successus spe alor.

Nil tamen, quod temerarium foret, audebo; sed omnia & in brutis & in me experiar, antequam ea homini ægro-tanti præbuero.

Et hac ratione ero tutus, securus.



P R Æ F A T I O.

Multi dantur morbi, quos nec antiqui medici, nec recentiores, in arte quamvis peritissimi, curare, noverunt; idque vel ideo, quum nullum adhuc remedium detectum fuit, quod his morbis debellandis sufficeret.

Ut igitur ad simile remedium eruendum omnes nostros intendamus nervos, suadet ratio, officium jubet.

An fors in plantis, quarum virtutes nos ignoramus, aut quas pro suspectis habemus, simile quid latet?

Ego sane! usu *Cicutæ*, medicamentum tentasse, mihi videor, quod in solvendis inveteratis scirrhis, & in sanandis cancris valde utile esse poterit.

B

Neque

P R Æ F A T I O.

Neque tamen hujus plantæ vim specificam hic deprædico, neque cujusdam inventi gloriam ambio; sed desiderio unice, ut mei conatus in afflicti generis humani utilitatem & emolumentum cedant, & applicentur.

Quapropter nollem, quis invidia, aut ambitione experimenta turbet.

Opusculum in tria capita dividitur:

Primum continet plantæ, et remedii descriptionem.

Secundum recenset casus, in quibus hoc remedium fuit adhibitum.

Tertium adfert quædam corollaria.





C A P U T I.

I N locis umbrosis & pingui-
bus, prope fossas aggeres-
que agrorum, pratorumque
sepimenta crescit planta umbellifera,
quæ mense Jul. floret. *Folia* ejus
longis, crassis, cavis pedunculis ap-
penfa, plurifariam *Myrrhidis* modo in
alas plurimas tenues, atrovirentes di-
visa sunt. *Culmus* procerus, ferulaceus,
glaber, lævis, crassus, intus inanis,
dilute virens, nonnullis attamen sub-
rubentibus veluti serpentum maculis
respersus, supra tres non raro cubitos
assurgit. *Umbellæ* fastigia occupant.

Candidi in his sunt *Flosculi*. *Semina* postea anisi æmula, aliquanto candidiora. *Radix* dodrantalis, crassitudinis digiti, quando caulem facit, cava est interius, prius autem solida. Odor est ingratus, fœtidus. Vide *Morison*, Tom. 3. p. 290.

Hanc herbam vocaverunt Botanici *Cicutam* vulgarem; & Germanico idiomate dicitur *Schirling*.

Plinius scribit caulem cicutæ viridem a multis impune comedi.

Rajus perhibet quendam nomine *Boullé* cicutæ radicem ad scrupulum unum in febribus malignis, & quartanis dedisse, & omnibus diaphoreticis prætulisse.

Renealmus in *Observat.* 3. & 4. ad Scirrhus hepatis, lienis, pancreatis solvendos scrupulum unum aut drach.

β. radicis cicutæ in substantia exhibit; aut dedit infusum cum drach.

j. vel

j. vel drach. ij. hujus radicis factum.

Multa emplastra & linimenta officinalia succum cicutæ recipiunt.

Cæteroquin autem fere ab omnibus authoribus carbone nigro notatur, recensetur inter venena, damnatur, atque ideo ex medicina penitus exulavit.

Copiose ubique invenitur; nec tamen in hortis utilitatem aut locum habet, neque ad sananda pecora, minus ad curandos homines nunc adhibebatur.

Hinc prodiit semper frustra, & sine usu iterum exaruit.

Novimus tamen omnes, nil a *Deo optimo* creatum esse, quod non foret bonum & utile:

Unde apud me statui, hujus herbæ virtutes præ omnibus aliis experiri, atque ideo plurimos veteres ac recentiores scriptores hac super re legi, & consului.

Legendo autem inveni, hanc herbam usu externo antiquis maxime temporibus ad tumores frigidos dissipandos, ad scirrhos solvendos, cancerorumque dolores mitigandos magno cum effectu fuisse adhibitam.

Eam vero, interne datam, teterrimum venenum esse, omnes clamitant.

Prima itaque pericula externo usu erant facienda.

Quapropter hanc herbam siccatam, & conscissam intra linteamina decussatis filis in matratium confui, simile matratium in aqua ebulliente per aliquot minuta reliqui, dein, expresso superfluo liquido, ad partes affectas calide applicui.

Hac ratione pessimæ gangrænæ progressum aliquoties inhibui, & corruptum a sano separavi.

Qui talia matratiâ, aquæ incocta, ob ingratum foetorem, aut natum inde pruritum ferre non poterant, iis lacti incocta adhibui.

Hæc dein facile tulerunt, nec quid mali experti sunt, & omnes habuerunt levamen.

Viro sexagenario, a multis annis doloribus podagricis divexato, non tantum simili fomento dolores mox sedavi, sed & tophos podagricos integre emollivi, & dispuli.

Unde factum est, ut rediens podagra nec amplius adeo violenta, nec diuturna fuerit.

In annoso rheumatismo, & dolore arthritico, pilulis postea describendis, & fomento ex *Cicuta* ægris aliquoties magnum levamen attuli, quosdam penitus liberavi.

Aliquos tamen, continuato licet usu, nequaquam juvi; nemini autem, quantum ego novi, nocui.

In strumis scirrhosis, in indurationibus glandularum, mammarum, & in pessimis cancris non exiguos effectus vidi, & expertus sum.

Ubi tamen tumores inflammatorii, aut serosi calidi adsunt, ibi tale fomentum ex cicuta minus convenit.

Poterit tamen & in his casibus habere locum, si debitæ antea evacuationes fiant.

Emplastra, quæ succum *Cicutæ* recipiunt, magnam quoque utilitatem in medicina habent, & talia sæpe solvunt & dissipant, quæ omnibus aliis resistunt.

Unde suspicari cœpi, an non in succo cicutæ vis illa solvens, penetrans, & discutiens lateret?

Succum igitur ex *Cicuta* expressi, & in vase terreo lentissimo igne in extractum inspissavi.

Hoc

Hoc extractum ilico in homine tentare, nefas erat.

Qua de causa cani parvo, famelico, ter de die dedi scrupulum unum hujus extracti & frustum carnis.

Sedulo tunc attendi, quænam in cane mutationes fierent.

Verum canis mansit sanus, alacer, & magno desiderio offam expectavit.

Secundo die, data eadem extracti quantitate, idem expertus sum.

Neque tertio die malum in cane symptoma adverti.

His audacior redditus, in me ipso experimentum feci.

Mane ac vesperi sumsi granum unum hujus extracti, & vasculum unum infusi theæ hausi desuper.

Diætam tunc paulo strictiorem observavi, ut ilico adverterem, si quid insoliti in meo corpore fieret.

Tali dosi per octiduum continuavi, nec minimam inde molestiam sensi; fui agilis, robustus, optimam habui memoriam, appetii, placide dormivi.

Altera septimana auxi dosin, & jam mane & vesperi duo grana deglutivi, neque inde quid mali aut insoliti in meo corpore ortum est.

Jam ergo optimo jure & salva conscientia hoc in aliis mihi licuit tentare.

Quæ autem radici cicutæ vis inesset? quoque scire volui.

Radix recens dum in taleolas discinditur, fundit lac, quod gustu amarum & acre est.

Hujus lactis unam alteramve guttulam linguæ apice delibavi.

Mox lingua facta est rigida, intumuit, valde doluit, & ego nec verbum loqui poteram.

Sinistro hoc eventu terrefactus multum timui.

Ex lectione tamen autorum memini, quod acida similibus medicamentorum viribus resistent, & virulentiam enervent.

Hinc succo citri linguam totam abluui, & apicem hoc succo perfricui; quo facto, statim magnum levamen percepi, abierunt dolores, tensiones, & balbutire potui.

Post horæ quadrantem idem repetii, & tunc cœperam paulo liberius loqui.

Iteratis dein vicibus applicato hoc succo tandem post binas horas lingua libera facta est, & evanuit omnis metus.

An non igitur in lacte radicis maximum virus latet?

Radix exsiccata, & in pulverem reducta, minus nociva est.

Etenim hujus pulveris granum unum aut duo aliquoties sine noxa assumfi.

Dum

Dum de his certus fui, pilulas sequentes paravi :

R. Herbæ recentis cicutæ q. s.

Exprimatur succus, isque recens lentissimo igne in vase terreo (sæpius agitando, ne amburatur) coquatur ad spissi extracti consistentiam, hoc extractum, s. q. pulveris foliorum cicutæ in massam pilularem subigatur ; ex qua fiant pilulæ granorum duorum.

Si ex cicuta sufficiente quantitate aquæ aliquamdiu cocta succus exprimatur, tunc fit extractum minus efficax ; attamen utile.

Pilulæ possunt argento vel auro obduci, vel diversis pulveribus conspergi, ut odor ingratus evitetur.

Vel idem extractum poterit in bolis, in mistura, aut alia quacunque convenienti forma exhiberi, ne ægri diuturno usu abhorreant, & defatigentur.

A minima dosi semper incepti, & sub initium mane & vesperi unicam solummodo pilulam exhibui, tertio quartove die dedi ter talem pilulam.

Post octiduum ter de die cœpi duas dare, & hac ratione sensim (si necessitas id postulavit) augendo ascendi, usque dum ad drachmam unam, vel drachmam unam cum semisse spatio unius diei deveni.

Nil unquam mali observavi, licet has pilulas per unum alterumve annum & ultra, continuato usu, etiam sanis exhibuerim.

Subinde curam statim majori pilularum dosi inchoavi, & viso bono temperamento, & bonis viribus in initio ilico bis terve per diem dedi pilulas duas, tres aut quatuor.

Nihilominus præstat semper parva dosi incipere, sunt enim idiosyncrasia, quibus medicamenta maxime innocua nocent;

nocent; hinc ne his damnum inferamus, & ut sensim in naturæ similibus ægrorum cognitionem pertingamus, tuta via incedendum est.

Qualibet vice dum assumuntur pilulæ, datur unum alterumve vasculum infusi theæ, vel jusculi vitulini.

Si pulvis radicis *Cicutæ* sufficienti quantitate mucilaginis Gummi trogacanthi in pilulas redigitur, exurgit medicamentum valde efficax; verum majori tunc in utendo circumspectione opus est.

C A P U T II.

C A S U S I.

ADmodum formosa puella a tribus annis gessit parotidem sinistram penitus scirrhosam, colore purpuream, quandoque acute dolentem, quandoque
ab

ab omni dolore immunem; magnitudine autem pugnum virilem hic tumor superavit.

A diversis medicis & chirurgis diversa interna externaque remedia sunt exhibita; verum omnia effectu caruerunt.

Tandem ægra accessit Dominum *Leber*, chirurgum nosocomii civici; hic me in consilium vocavit.

Casu & formulis, præscriptis, rite examinatis vidimus, remedia maxime solventia, discutientia &c. interne æque ac externe fuisse adplicata.

Hoc igitur in genere nil amplius superesse conclusimus, quam spiritum frumenti cum mercurio sublimento.

Unde, adposito externe emplastro de ladano, dedimus spiritum frumenti &c. atque præterea ægra copiose haurire debuit decoctum radicis gram. cich. tarax. &c.

Per tres septimanas his diligentissime assumtis nullum omnino levamen, nullam prorsus mutationem deprehendimus.

Hinc statuimus tentare pilulas e cicuta paratas.

Ab uno solummodo grano, mane & vesperi sumendo, inchoavi, & singula vice unum alterumve vasculum infusi flor. samb. superbibendum dedi.

Post octiduum rediit ægra plena solatio, & nobis læta narravit, ostenditque, quod tumoris moles esset minor, mollior, mobilior.

Effectum mirati facile concessimus, ut ægra, suæ pulchritudinis recuperandæ avidissima, hoc remedium continuaret.

Elapso altero octiduo nos denuo accessit, malum autem fere in eodem statu fuit.

Quapropter dosin auxi, & mane ac vesperi dedi binas pilulas.

Quo facto, intra triduum plus quam dimidia duritie pars abiit.

Dein continuatio, in eadem dosi, hoc remedio intra sex septimanas omnis durities evanuit.

Verum remansit sacculus flaccidus, pastaceus.

Dedi igitur purgans, & sacculum flaccidum linteaminibus fumo aromatico ex mastiche, olibano, myrrha &c. impregnatis sæpius perfricari iussi; quod tantam habuit efficaciam, ut intra sex circiter dies sacculus totus abierit; unde puella suam priorem formositatem integre recuperavit.

Hac ratione curatam ad *Illustrissimum Præsidentem* adduxi, & ipsa *Ei* historiam totam enerravit.

CASUS SECUNDUS.

Fœmina (30 aliquot ann.) jam a pluribus annis id incommodi habuit, quod mox sub axillis, mox in inguinibus, mox in collo glandulæ intumuerint.

Applicato emplastro, sumtoque medicamento purgante hi tumores sub initium semper disparuerunt; successu autem temporis pertinaciores facti sunt, & quandoque ex usu emplastri in ulcera abierunt, quæ, effuso copioso ichore, post aliquot septimanas sponte iterum consolidata sunt.

Vires ægræ sensim diminuebantur, intumuerunt pedes, & glandulæ subaxillares; tandem mamma dextra quoque increvit, & tota scirrhusa facta est.

Apposito tunc emplastro mox dolor acutus mammam invasit, durities
abiit

abiit in tubera, accessit color purpureus, dein lividus; demum cutis, duobus in locis summo cum dolore rupta, efformavit bina ulcera cancrofa, foetidissimo & acri ichore manantia.

Dolor quotidie circa vespervas multum est adauctus.

Varios medicos & chirurgos hæc ægra adiit, plurima affumfit remedia, nullum tamen unquam levamen percepit.

Demum die 14. Septembr. 1757. ad me venit, re bene examinata, hanc optimam pilulas experiundi occasionem putavi, præbuique mane & vesperi pilulas binas, quarum quælibet granum unicum pondere habuit, atque his superbibendum dedi infusum foliorum veronicæ.

Vigefimo secundo Septembr. vidi colorem lividum fere ubique in læte rubrum, hinc inde in naturalem esse

mutatum; dolores fuere multo mitiores, & fœtidi ichoris loco materies tenuis puriformis comparuit.

Secundo Octobr. color totius fere mammæ naturalis fuit, moles & durities erant minores, dolores exigui, pus bonum.

Decimo quarto Octobr. mamma iterum cœpit tumere, rubere, tendi, & magnis doloribus torqueri, puris loco ichor effluxit.

Dolui finistrum experimenti successum; non tamen spem abjeci: etenim accurate inquirendo deprehendi, tempus menstrui fluxus instare, mali igitur causam ex eo posse repeti, iudicavi; hinc suasi ægræ, ut pilulas sine interruptione continuaret.

Altero die proruperunt menses, mamma detumuit, rediit color naturalis, imminuti sunt dolores; unde ægra in assumendo alacriter perexit

Vige-

Vigesimo quarto Octobr. inveni mammam multo minorem, molliorem, pus bonum; jussi, ut jam mane & vesperi pilulas tres assumeret.

Tertio Novembr. magna puris boni copia ex ulceribus prodiit, mamma fuit minor, ægra frequentes in mamma sensit fornicationes, tumores sub axilla dextra quoque fundi cœperunt.

Decimo nono Novembr. narravit ægra: quod menses debito tempore fluxerint, & quod tunc mamma iterum intumuerit, & dolores majores essent orti; his tamen non territa pilulas semper continuavit.

Dum mammam conspexi, deprehendi partem supra papillam mollitie & magnitudine fere naturalem, pars autem infra papillam lapidis instar dura adhuc fuit; dedi mane et vesperi pilulas quatuor.

Secundo Decembr. rediit ægra tristis, & conquerens, quod ob acutissimos nocturnos in mamma dolores non posset dormire, quod appetitus esset penitus deletus, os amarum, glutinosum, ructus fœtidi, frequentes.

Verum ægra horum symptomatum causam simul fassa est; etenim dixit: se aliquot abhinc diebus carnem suillam fumo induratam, & brassicam minus accurate coctam comedisse, & ilico inde pondus in ventriculo, & nauseam ortam esse, doloresque increviffe.

Quapropter præscripsi purgans ex rhei electi Scrup. ij. & crem. tart. Scrup. j. quod alvum quinquies movit, appetitum mox restituit, & reliqua symptomata mitigavit.

His factis, mane & vesperi quinque pilulas exhibui, quarum quælibet pondere duo grana habuit; hinc jam
longe

longe majorem copiam assumpsit, quam antehac.

Decimo octavo Decembr. enarravit ægra, quod tempore fluxus menstrui vix perceperit dolores, quodque color mammæ naturalis permanferit.

Inquirendo tunc in tumorem infra axillam, tetigi, eum esse longe minorem, & valde mobilem; ulcera erant pura, & jam in sanationem vergere videbantur, pus, quod fundebant, paucum erat, & optimæ consistentiæ & coloris. Mammæ medietas supra papillam colore, magnitudine, & mollitie omnino naturalis fuit; verum medietas infra papillam, ad omnia rebellis, lapidea mansit; hinc de hujus resolutione jam merito erat dubitandum; nihilominus ægra, viso jam tanto progressu, se sine interruptione diligentissime his pilulis usuram promisit, & rogavit, ut eas ipsi non denegarem.

Mane & vesperi sex pilulas nunc exhibui.

Vigesimo quarto Decembr. ægra ingentes dolores in mamma habuit, & mamma iterum tendi, & valde rubere cœpit.

Mala autem hæc symptomata tunc accessisse, affirmavit ægra, dum triduo abhinc mammæ ulcera, crustis crassis obducta, coaluerunt, dumque liber materiei exitus fuit interclusus.

Igitur ad crustas has emolliendas mammæ imposui emplastrum de spermate cete.

Altero die crustæ deciderunt, & ex ulceribus effluxit serum acre, dein pus prodiit, & mox tumor mammæ immixtus est, rubedo disparuit, abiitque omnis dolor.

Decimo quinto Jan. durities infra papillam, quæ huc usque immutata perstitit, nunc cœpit fundi, ægra nullos dolores

dolores habuit, & menstruus fluxus debito tempore rediit, nec ullum malum symptoma produxit.

Tertio Februar. ægra continuos ructus, nauseam, præcordiorum anxietates, & in mamma majores dolores conquesta est, dixitque, quod id experiatur semper, dum ex leguminibus quidquam assumit; mammam tamen quoad magnitudinem, colorem, molliem in eodem statu deprehendi, quo fuit die 15. Jan.

Quoniam ventriculum ab assumptis oneratum adverti, purgans exhibui, quod magna cum euphoria operatum est; dein in usu pilularum pergendum erat.

Vigesimo quarto Febr. ægra admodum bene se habuit, scirrhus sub axilla fuit multo minor, & ea durities, quæ infra mammæ papillam hæsit, inveniebatur mollior, & in sex moleculas

culas divisa, gaudebam tunc multum, quod & hic scirrhus, alias pertinacissimus, tandem mutaretur.

Decimo tertio Mart. omnia in eodem statu sine ulla mutatione inveni. Suasi ideo, ut ter de die sex pilulas fumeret.

Decimo April. scirrhus infra papillam mollis fuit, neque moleculæ amplius distingui potuerunt, ulcera fuere multo minora, nitida, pus bonum.

Vigesimo nono April. fere omnia in eodem statu fuerunt; ægra rogavit, ut purgans præscriberem, quoniam levem nauseam & pondus sentiret.

Dedi igitur Drachmam unicam rhei, quæ magnam copiam materiæ biliosæ eduxit, & ægra dein belle habuit.

Vigesimo quarto Maii mamma tota ad naturalem fere mollitiem, & magnitudinem rediit, ulcera cœperunt coire, & paucum solummodo, optimi coloris

&

& consistentiæ, pus exstillavit, tumor sub axilla fuit exiguus.

Tertio Jul. mamma tota naturalis fuit, ulcera concreverunt, tumor sub axilla vix amplius pisum adæquavit.

Jussi, ut nunc a pilulis abstineret, & rediret post aliquot septimanas, ut hac ratione viderem, an mamma maneret bona? an iterum abiret in pejus?

Vigesimo sexto August. inveni omnia bona, & fœminam integre sanam.

Statim sub initium curæ, dein quinto mense, tandem finita integra cura hanc fœminam ad *Illustrissimum Baronem VAN SWIETEN* adduxi, ut experimenti progressum videret; lætabatur Is semper, & pro innata sua benevolentia hanc ægram qualibet vice pecuniis remuneratus est.

CASUS TERTIUS.

Fœmina, viginti quatuor annorum, semper alias sana, ab anni spatio advertit in mamma dextra tuberculum durum, mobile, quod sensim adeo increvit, ut 12. Octobr. 1758. dum me accessit, ovum anserinum magnitudine adæquaverit.

Examinando vidi perfectum scirrhum esse.

Præbui ideo mane & vesperi tres pilulas, quarum quælibet grana duo pondere habuit, jussique, ut infusum, qualecunque placeret, superbiberet.

Vigesimo quinto Octobr. ad me rediit, & inveni tumorem molliorem, paulo minorem; rogavit ægra an non liceret emplastrum adplicare, verum recusavi, ut experirer quid pilulæ solæ efficerent,

cerent, & fuasi propterea, ut jam mane & vesperi quatuor pilulas assumeret.

Decimo sexto Novembr. vidi scirrhum in plurimas moleculas molles divisum, gaudebat fœmina de bono successu. Menstruum fluxum rite habuit, neque tempore menstruo a pilulis abstinuit, quoniam nullam inde turbam advertit.

Præscripsi purgans, quod bene operatum est, & mamma notabiliter detumuit.

Dein jussi eam pilulas continuare.

Decimo quinto Decembr. rediit, & mamma fere naturalis fuit, exigua modo pastacea moles supererat.

Tertio Jan. mamma erat penitus naturalis.

Tunc denuo præscripsi purgans, & ab eo tempore hanc fœminam non amplius vidi.

CASUS

CASUS QUARTUS.

Mense August. 1758. virgo, 18. ann., ex morbo acuto in nosocomio convaluit, & postquam vires cœpit recuperare, sensit in mamma dextra ingentes dolores; hæc autem mamma jam a sesqui anni spatio lapidis instar dura fuit.

Dedi tunc pilulas ex Gum. ammon. sapon. venet. sal. polychr. rheo &c. externe chirurgus HAFNER cataplasma ex sapon. veneto, lacte soluto, applicuit.

Ab initio res in melius mutabatur, & mamma mollescere cœpit, & dolores remiserunt.

Posthac vero iterum increverunt dolores, mamma denuo durior & purpurea facta est; tandem livuit, & post aliquot dies cutis rupta ulcus, sordidum & multo foetidissimo ichore manans, efformavit.

Hinc

Hinc externe fomentum ex foliis cicutæ adplicui, & interne dedi mane & vesperi tres pilulas, quarum quælibet grana duo pondere habuit.

Eodem adhuc die his remediis dolores multum imminuebantur.

Tertio die color lividus cœpit evanescere, & fœtidi ichoris loco tenuis pus comparuit.

Septimo die toto mamma læte rubuit, ulcus fuit nitidum; dolores, qui per diem exigui erant, versus vespertas paulisper exacerbati sunt; pus in ulcere jam nunc bonum deprehendebatur, & mamma mollior.

Decimo quinto die ulcus videbatur in sanationem tendere, mamma multo mollior fuit, & color fere naturalis, dolores aut pauci, aut nulli.

Vigefimo die mamma mole minor & mollior erat, & ulcus coaluit.

Vigefimo

Vigefimo quarto die aderant enormes dolores, qui ab eo tempore inceperunt, quo ulcus claufum est.

Ad dolores mitigandos opio opus fuit.

Vigefimo quinto die mamma circa papillam valde mollis erat, & quædam obfcura fluctuatio percepta est; noctu ob ingentes dolores opium denuo dari debuit.

Præterea tamen ab hoc die cepi mane & vefperi quatuor pilulas exhibere; & fomentum ex cicuta fedulo adplicatum est.

Vigefimo octavo die manifefta erat fluctuatio, & dolores tunc acutiffimi; rogavit ipfa ægra, ut mamma pertunderetur, quod &, me fuadente, diligentiffimus mei nofocomii chirurgus HAFNER perfecit.

Puris boni ingens copia effluxit, dolores ilico remiferunt, & mamma tota collapfa est, in ambitu folummodo
quæ-

quædam scirrhosæ portiones tangebantur ; color mammæ naturalis fuit.

His factis, præter pilulas & fomentum ex cicuta nil adplicuimus, ut experiremur, quid his solis fieret.

Quotidie sat magna puris boni copia prodiit, & scirrhosæ portiones adeo cito dissipatæ sunt, ut quadragesimo die ex iis nil fere superfuerit, & ulcus mundum jam cepit sanari.

Quinquagesimo die mamma sana erat, & ulcus cicatrice obductum est.

Solis igitur his pilulis, & fomento ex cicuta hæc ægra integre curata fuit ; neque unquam quid mali ex fomento aut pilulis percepit ; alvus quotidie bene cocta prodiit, exceptis iis diebus, quibus opio utendum erat.

Sub finem purgans huic ægræ exhibui, quod magna cum euphoria alvum quater eduxit.

Post tres dein dies prima vice menses citra vel minimum incommodum proruperunt, unde hæc, jam integre sana, nosocomio valedixit.

CASUS QUINTUS.

Foemina, 28 ann., sex septimanis ab ultimo partu in mamma dextra duritiem & dolorem advertit, & infans ubera fugens hanc mammam respuit.

Sub initium nil adplicuit præter lintamina, fumo aromatico imprægnata.

Quum autem duritiem increfcere, & dolores augeri percepit, emplastrum, mammæ adposuit, verum mamma inde rubuit, & dolores adeo acuti facti sunt, ut misera, noctu diuque, dormire non potuerit.

Tandem (8vo mense) accessit febris, sitis magna, & anxia respiratio; unde
mater

mater cum infante ad meum nosocomium translata est.

Infantem ilico a matre separare statueram ; verum is nil cibi potusve assumpsit, & continuo vagitu vires amisit ; quam primum autem mammis iterum admotus est, quievit, & postea placide dormiuit.

Hinc ægræ matris lac infanti erat concedendum.

Matri, quoniam febris magna fuit, & pulsus elevatus, durus, venam jussi secari ; mammæ dolenti cataplasma emolliens applicui, & pro medicamento atque potu ordinario dedi decoctum resolvens, nitrosum.

Intra binos dies dolor in mamma valde mitis factus est, & febris penitus desit.

Iisdem remediis per tres adhuc dies continuavi, & tunc fere omnes dolores abfuerunt, durities vero mansit eadem,

febris non amplius rediit; unde medicamenta mutavi.

Externe jam adponebatur cataplasma ex saponе veneto, lacte soluto; pro medicamento interno data est mistura sequens:

R. Sapon. venet. unc. β.

solv. in aq. flor. samb.

lib. j.

dein adde:

sal. polychr. dr. β.

syrop. de cich. c. rheo

unc. ij. β.

m.

S. sumat ægra omni bihorio

unciam unam.

Postquam per decem dies sine interruptione hanc misturam exhibui, nil mutatum in mamma inveni, & ægra sensim a medicamento abhorruit; infanti cæteroquin sano glandulæ colli tumere, & indurescere ceperunt.

Qua-

Quapropter matri ter de die tres pilulas fumendas dedi, & jussi copiosum infusum flor. samb. desuper hauriret.

Intra triduum jam adverti mammam in superficie molliorem, & ægra dixit, quod liberius respiret, quod urina copiosius fluat.

Infans ubera matris fugens nequaquam inde quid mali sensit.

Post octo dies inveni scirrhum mammæ in plures moleculas divisum; infans incidit in levem diarrhœam; & mater jam non amplius tantam urinæ copiam reddidit.

Decimo quarto die mamma tota pastacea fuit, ægra bene appetiit, alvum quotidie solito naturæ cursu, ut antehac, deposuit; infans leni diarrhœa adhucdum laboravit, inde autem debilitatus non est, & colli glandulæ sensim ad naturalem statum redierunt.

Vigesimo quarto die mamma fere naturalis fuit, neque infans diarrhœa amplius vexabatur.

Trigesimo die matri dedi drachmam unam rhei electi, unde probe purgata est; & post aliquot dies integre sana cum sano infante ex nosocomio discessit.

Dosin pilularum non auxi, novem quotidie suffecerunt.

CASUS SEXTUS.

VIro, sexaginta quatuor annorum, fœdissimus cancer ab angulo oris sinistro ad aurem usque omnia depascibat, remedia quæcunque tentata malum nequaquam inhibuerunt; ipse cortex peruvianus effecit nihil.

Dedi igitur mane & vesperi pilulas sex cum infuso flor. samb. & externe apposui emplastrum diapomphol.

Primo

Primo die æger nullum levamen habuit.

Secundo die dolores remiserunt, æger noctu dormivit, neque ulcus tantopere fœtuit.

Tertio die copiosissimum serum acre ex ulcere effluxit, & labia prius valde tumida, detumuerunt.

Quarto die minor ichoris copia pro-
manavit, & fœtor fuit exiguus.

Quinto die ichoris loco tenue pus comparuit, & ulcus satis purum videbatur.

Sexto, septimo, octavo, nono die eadem observata sunt, dolores erant pauci, appetitus bonus.

Decimo die dolores iterum majores fuerunt, ulceris labia erant tensa, tumida, & valde rubra.

Duodecimo die denuo copiosum serum ex ulcere destillavit, unde dolores mitigati sunt, & tumor labiorum imminutus.

Decimo tertio die ulcus iterum fordidum fuit, tetrum odorem sparfit, & magnum dolorem excitavit.

Decimo quarto die auxi pilularum dosin, atque mane & vesperi octo exhibui.

Decimo quinto die ulcus copiosissimo sero manavit, & dolores multum decreverunt.

Decimo sexto die aderat bonum pus neque ullum dolorem conquestus est æger.

Decimo septimo die ulcus mundum videbatur, pus omnino bonum, dolor nullus.

Decimo octavo die idem observatum est.

Decimo nono die redierunt denuo magni dolores, intumuerunt ulceris labia; unde æger pertæsus rus abivit, & balneatori sese confidit; hic autem emplastris & decoctis tantum effecit, ut cancer mox integram fere faciem occuparet,

parit, & miserrimo ægro intra tres septimanas adtulerit necem.

Sub usu pilularum cancro limites ponebantur, etenim is neque in amplitudinem, neque profunditatem prorepfit; ilico autem in pejus ruit, dum æger a pilulis abstinuit.

CASUS SEPTIMUS.

Nobilis matrona venando Sclopetum paulo fortius ad mammam dextram adtrufit.

Dolorem inde magnum non habuit; sed post unam alteramve septimanam advertit in eadem mamma tuberculum, pisum magnitudine adæquans.

Hoc tuberculum citra dolorem fenfim increvit ita, ut nucem juglandem multum superaverit.

Hoc in ftatu hæc matrona ad me mittebatur, & ilico, casu examinato, mane & vesperi tres pilulas exhibui.

Octavo

Octavo die ad me rediit; inspiciendo mammam, nil mutatum inveni.

Decimo sexto die tuberculum in superficie mollius apparuit; nullum unquam dolorem hæc matrona in mamma percepit; dum autem his pilulis usa est, alvum quotidie præter consuetudinem bis aut ter liquidam depofuit, vires tamen inde diminutæ non sunt, neque appetitus turbatus.

Post mensis spatium tuberculum mole minus, mollius, & longe mobilius videbatur.

Elapfo secundo mense tuberculum fere $\frac{1}{2}$ minus erat, & molle, hinc pilulas sedulo continuandas suafi; verum ab hoc tempore hanc matronam non amplius vidi.

Sub usu pilularum semper sana fuit, menses ipsi rite prodierunt, neque iis fluentibus pilulas neglexit, quoniam nullam inde noxam observavit.

CASUS

CASUS OCTAVUS.

Fœmina, 43. ann., 22. Mart. 1759.
me accessit, gerens mammam sinistram admodum magnam, lapidis instar duram, immobilem, purpuream, hinc inde lividam, & acutissime dolentem; præterea brachium ejusdem lateris præ dolore mammæ & tumore glandularum subaxillarium movere non potuit, respiratio inter ambulandum fuit brevis, difficilis, tussiculosa.

Omnia signa cancerum occultum adesse testabantur.

Causam & originem hujus mali in maritum rejecit, qui, sesqui anno abhinc, cubitu in hanc mammam fortiter impegit; unde mox tuberculum natum est, quod in tantam molem accrevit, & abiit in cancerum.

Antequam huic fœminæ quid medicamenti exhibui, eam ad *Illust. Baronem*

VAN SWIETEN adduxi, qui rebus rite consideratis casum difficilem & experimento dignum agnovit, suavitque, ut mane & vesperi tres pilulas darem, atque hanc fœminam omni decimo quarto die ad *Eum* mitterem, ut hac ratione de effectu esset certus.

Trigesimo Mart. fœmina ad me rediit, dicens: dolores esse minores, cæteroquin vero mammam in priori statu permanfisse.

Jussi tunc ut mammam denudaret, & vidi statim, colorem totius mammæ mutatum esse, ita quidem, ut ea ex parte, qua mamma purpurea fuit, nunc lætus rutilus color adesset, qua parte vero livida & subnigra fuit, nunc purpurasceret; imo versus axillam apprehendi mammam molliorem; hinc suasi, ut pilulas sedulo continuaret.

Sexto April. eam adduxi ad *Illustriss. Baronem* VAN SWIETEN; gaudebat *Is*
sum-

summopere de bono remedii effectu, etenim vidit manifeste colorem, qui antehac cancrifus erat, jam hinc inde in naturalem mutari, aliis in locis læte rubere, & nullibi amplius vivere. Dolores quoque minores esse fœmina affirmabat; verum respiratio mansit æque difficilis, tufficulosa. *Illust. Baro* tangendo mammam ubique in margine molliorem, & minorem invenit; quapropter fœminam pecuniis donavit, ut in utendo alacriter pergeret.

Decimo tertio April. mamma iterum mollior, & paulo minor fuit; verum supra papillam erat quoddam spatium, tres pollices longum, duos latum, quod nullo modo mutabatur, & valde rubuit, & fuit immobile.

Jussi tunc, ut ægra mane & vesperi quinque pilulas affumeret.

Vigesimo April. cum ægra a divi *Illust. VAN SWIETEN*; conquerebatur
tunc

tunc dolores per vices redeuntes, acute pungentes, rodentes, urentes; tussis fuit paulo frequentior, dixitque ægra quod tussiendo majorem in mamma dolorem sentiret, quod pulmo cum mamma quasi cohæreret, eamque tussiendo introrsum traheret.

Cæteroquin portio mammæ versus axillam, sesqui pollicem lata, mollitie, colore, & magnitudine penitus naturalis erat; hinc *Illust.* VAN SWIETEN, mammæ duritiem glaciei instar fundi ajebat.

Nihilominus tamen tumor supra papillam immutatus perstitit.

Tussi ficcæ, ut paulisper iretur obviam, tunc præter pilulas præscripti decoctum ex rad. alth. fol. alth. & syrupo alth.

Vigesimo septimo April. ægra eandem tussim, & eosdem dolores conquesta est; verum advertit ipsa, quod thoraculam longe arctius possit constringere,

stringere, quam ante quatuordecim dies, & hinc concludit, mammam esse minorem.

In dosi pilularum, & in usu decocti perreximus.

Quarto Maii denuo accessimus *Illustrissimum Baronem*, mamma tota minor & mollior fuit, excepta ea duritie, quæ supra papillam costis firmissime adhæsit.

Decimo octavo Maii ægra melius se habuit, tussis fuit minus molesta, dolores mediocres, mamma mollior. Durities supra papillam in eodem statu permansit; tussi autem sputum glutinosum prodire cepit.

Primo Junii *Illustrissimus VAN SWIETEN* lætabatur, dum vidit mammam ad minimum $\frac{2}{3}$ esse minorem. Ægra autem conquerebatur dolores nocturnos, tussim noctu molestant; unde suavit *Illustrissimus*, ut vesperi ægræ massa pilularum de cynoglossa exhiberetur.

De-

Decimo quinto Junii ægra rediit læta, dicens: quam jam bene dormiret, rarius tuffiret, quod fere omnium dolorum effret expers; respiratio erat paulo liberior, sputa purulenta prodierunt.

Durities supra papillam quoque cepit mollescere.

Vigefimo nono Junii ægra denuo liberius respiravit, sputa purulenta facile rejecit, durities autem supra papillam fuit in eodem fere ftatu. Hinc externe fomentum ex foliis cicutæ adplicui.

Decimo tertio Julii rediit conquereus, quod ex fomento applicato durities supra papillam incipiat exulcerari.

Dum mammam confideravi, vidi, parvo in spatio epidermidem secessiffe, cutim effe ruptam, & ichorem acrem exstillare.

Dum autem in caufam accuratius inquisivi, fatta est ægra, quod ingratum prurimum

prurimum & fornicationem in mamma perceperit, quodque tunc partim unguibus, partim indusio durio rem mamme partem fortiter fricuerit, & quod ab eo tempore ardorem ingentem fenserit, & ichoris stillicidium.

Fomentum iussi continuare, & pilulas mane & vesperi octo dedi.

Vigesimo Julii jam aderat ulcus sat profundum, labia ulceris erant livida, ichor valde foetuit, ægra habuit majores dolores, sputis pus prodiit.

Vigesimo septimo Julii ulcus iterum profundius fuit, verum dolores remiserunt, ichor effluens foetuit, pus nullum aderat; frustra autem lata, coriacea, dura, foetida ex ulcere prodibant, hinc durities supra papillam, huc usque ad omnia rebellis, exfoliatione minui videbatur.

E

Sputa

Sputa purulenta copiose processerunt; tussis autem in ulcere tensionem, & magnum dolorem excitavit.

Labia ulceris naturalem colorem sensim iterum recuperarunt.

Hoc in statu hanc ægram ad meum nosocomium suscepi.

Dominus *Haffner* chirurgus eam bis quotidie deligavit, & ulcus linteis carptis, infuso cicutæ madidis, implevit; plurima quotidie frustra coriacea exciderunt, & tumor multum imminutus est, ægra nullum dolorem habuit, sine opio dormivit, de die autem frequenter tussivit, & sputa purulenta egressit.

Quinto Augusti in ulcere pus cepit comparere, fœtor fere omnis evanuit, & durities suppuratione minuebatur, labia ulceris erant pura, & optimum habebant colorem; vires ægræ erant satis bonæ, sputa libere prodierunt, & respiratio fuit multo facilior.

Decimo

Decimo sexto Augusti ægram denuo ad *Illustriss. Baronem VAN SWIETEN* adduxi; mirabatur, quod scirrhus, antehac adeo pertinax, nunc benigna suppuratione minueretur, fecitque spem maximam, fore: ut consumpta hac pauca superstitie duritie, ulcus sponte consolidaretur.

Et sane, omnia successerunt optime, & jam plurima sanationis signa aderant.

Vigesimo quarto Augusti ægra denuo frequentiore tussim, & inde in mamma magnos dolores conquerebatur; etenim dixit, quod mamma, quasi chorda ligata, tussiendo versus cavum pectoris acutissimo cum dolore traheretur; hinc noctes fuerunt iterum inquietæ, quare denuo ad opium confugiendum erat.

Dato opio ægra belle se habuit, appetiit, vires erant majores, tussis minus molesta, sputa facilia, purulenta.

Secundo Septembr. circa octavam matutinam vidi hanc ægram bono in statu, extra lectum deambulantem, nec de dolore, nec de tussi conquerentem.

Eodem adhuc mane clanculum ab amicis vinum adferebatur, quod ægra abeuntibus amicis jejuno adhuc ventriculo avidissime hausit; unde mox vertiginosa vomuit, cecidit, & intra pauca minuta obiit apoplectica.

In dura & pia matre plurimas venas varicosas invenimus, cerebellum copioso, grumoso sanguine comprimebatur.

Pulmonis finistri lobus medius, totus scirrhusus & gravis, repertus est, lobus autem superior partim scirrhusus, partim suppuratus.

Bini hi lobi cum pleura ex anteriori parte erant firmissime connati, nec sine læsione inde potuerunt separari.

Ulcus fuit purum, muscoli pectorales sanissimi; labia ulceris optimum colorem

lorem habuerunt, & cum partibus vicinis denuo concrefcere, propiusque ad fe invicem accedere ceperunt; hinc nemo de integra hujus ulceris curatione dubitare potuiffet.

C A S U S N O N U S.

FOemina (23. ann.) a binis annis in toto colli circuitu glandulas tumidas, & fcirrhofas habuit, & hac ratione collum craffitie fere caput adæquavit.

Plurimæ ex his glandulis cancrofo ulcere corrodebantur.

Hæc ægra tentatis jam innumeris remediis, a diverfis medicis & chirurgis exhibitis, nullum levamen percepit, & tandem ad noftrum nofocomium devenit.

Egregius chirurgus *Haffner* externe ea omnia adplicuit, quæ ars chirurgica indicavit, fubminiftravitque.

Ego præterea decocta copiosissima & pilulas ex gum. ferulac., resin. lign. sanct., sapon. venet., terr. foliat tart., mass. pil. extr. cath. &c. exhibui.

Per sex septimanas hæc remedia diligentissime continuabantur, nullam tamen mali emendationem adverti.

Ulceræ continuo fœtidum & malignum ichorem fuderunt; imo materies ichorosa membranam cellulosam corrodit, & profundos sinus ac fistulas produxit.

Demum his consideratis, dedi spiritum frumenti cum mercurio sublimato.

Ægra autem inde dolorem in pectore sensit, cepit tussitare, & conquesta est in osse sterni ardorem, licet copiosissima decocta simul hauserit.

Nihilominus tamen in quartam septimanam hunc spiritum continuavi, quoniam symptomata ex usu hujus spiritus supervenientia, dein longe mitiora facta

facta sunt; verum tunc levis salivatio orta est citra levamen.

Hinc & ab hoc remedio abstinui, atque externe adplicui, fomentum ex cicuta, & præter infusum heder. terr., veron., agrimon. &c. dedi ter de die pilulas quatuor.

Sexto die dolores remiserunt, livor glandularum exulceratarum in lætam rubedinem transfivit, ichor evanuit, & pus dilutum ejus loco visum est.

Decimo die tumor colli & glandularum fuit longe minor, ulcera satis pura, pus bonum, ægra quiete dormivit, appetiit, nullos sensit dolores.

Vigesimo primo die jam quædam ulcera cicatrice obducebantur, tumor colli fuit multo minor, glandulæ multæ jam naturales, sinus minus profundi.

Jussi tunc, ut ægra ter de die sex pilulas assumeret.

Trigesimo secundo die omnia iterum erant meliora, plurimi finus jam fuerant clausi, binæ solummodo magnæ, callosæ fistulæ in parte sinistra supere-rant, quæ, arte chirurgica sectæ, eodem fomento, & iisdem pilulis intra quatuordecim dies percuratæ sunt, & tunc fere omnes glandulæ ad natura-lem statum redierunt, nulla scirrhusa durities amplius tangi potuit, pauca tantum pastacea tubercula hinc inde reperta sunt.

Dedi tunc ægræ purgans ex rhei dr. β. scammon. gr. viij. sal polychr. gr. xv. quod sexies alvum solvit, nec ægram debilitavit.

Posthac per binas adhuc septimanas ter de die sex pilulas assumpsit ægra, externe autem nil amplius adpositum est.

Finitis his binis septimanis integra aderat sanitas.

Menstruus fluxus huic ægræ debito tempore semper rediit, neque pilulæ quidquam turbarunt.

Curatam hanc fœminam per tres adhuc septimanas in nosocomio retinui, ut viderem, an glandularum tumores non redirent? vel an sinus foris nimis mature clausi, denuo recrudescerent?

Verum fœmina mansit sanissima; unde eam ex nosocomio dimisi; rogans tamen, ut apparente vel minimo tumore ilico ad me reverteretur.

Est autem jam septimus mensis, quod eam non viderim.

CASUS DECIMUS.

Virgini (18. ann.) glandulæ submaxillares scirrhosæ factæ sunt, & quælibet fere ovum galinaceum magnitudine adæquavit.

Huic

Huic illico mane & vesperi sex pilulas dedi, quibus integro mense sine omni omnino effectu usa est.

Sexta septimana primo tumores ceperunt emolliri, & minui.

Sensim dein in toto ambitu pastacea mollities observata fuit.

Septima septimana quotidie ter sex pilulas exhibere cepi, præterea dedi omni octiduo purgans rhebarbarinum.

Hac ratione spatium trium mensium hæc ægra integre restituebatur.

CASUS UNDECIMUS.

FOemina (67. ann.) a binis annis foedissimum apertum cancrum in mamma sinistra habuit, qui tantæ erat amplitudinis, ut limbus ejus superior fere maxillam inferiorem adtigerit, inferior autem ad ventrem usque descenderit.

Illus-

Illustrissimus Baro VAN SWIETEN, spectabilis Dominus Decanus de *Dietman*, celeberrimus anatomiae Professor *Gasser*, chirurgiae Professor JAUS, & alii, qui examini chirurgico in Domo *Universitatis* interfuerunt, hanc miserimam foeminam primo viderunt, eamque die vigesimo Junii 1759. ad me miserunt.

Mamma tota fuit ex fusco nigra, tuberosa, ichor vel eminus teterrime foetit, aegra nec appetiit, nec praedolore potuit dormire.

Jussi, ut mane & vesperi pilulas quatuor assumeret, & externe de die applicui fomentum ex foliis cicutaë, noctu vero emplastrum diapompholygos.

Vigesimo octavo Junii, rediit, & summo cum gaudio enarravit, quod non amplius tantopere doleret, noctu placide dormiret, neque tantum ac antea foetorem adverteret.

Mam-

Mammam inspiciendo ichoris loco pus tenue observavi.

Sexto Julii color mammæ fuit rutilus, pus bonum, moles minor, fœtor exiguus; hinc ægra se strenue continuaturam promisit, & infinitas egit gratias.

Decimo quarto Julii cancer fuit multo minor, pus bonum, fœtor nullus, color bonus, & ægra dixit, quod interim magna frustra, ex mamma separata, ceciderint, quod omni altero vel tertio die ingens feri copia ex mamma prodeat, quodque tunc moles mammæ visibiliter concidat.

Vigesimo secundo Julii omnia iterum erant meliora, & ægra de nullo incommodo conquesta est.

Postea, dum examen medicum fuit, hanc ægram denuo ad Domum *Universitatis* adduxi.

Illustrissimus VAN SWIETEN, spectabilis Dominus Decanus, omnesque Medicinæ Professores, qui hanc miseram antea viderunt, egregium effectum, & celerem mutationem mirati sunt.

Etenim color mammæ erat optimus, fœtor fere nullus, pus bonum, cancri moles $\frac{1}{2}$ minor.

Illustriff. VAN SWIETEN tunc hanc ægram auro donavit, & blandis verbis hortatus est, ut in usu sedulo pergeret.

Tertio Augusti mamma iterum minor videbatur, verum noctes erant inquietæ ob dolores, circa vespervas revertentes, hinc dandum fuit paregoricum, quod omnes turbas mox sedavit.

Fomento ex cicuta, & pilulis in eadem semper dosi continuatum est.

Decimo quinto Augusti mamma cancrosa pugnum virilem magnitudine adhuc paulisper superavit; pus aderat bonum, fœtor nullus, vires (ratione habitæ ætatis) bonæ. Vi-

Vigesimo sexto Augusti denuo *Illust.*
VAN SWIETEN adivimus, vidit is omnia esse valde bona, unde lætabatur, & spem dedit maximam, fore: ut intra paucas septimanas (si res semper ita pergeret) cancer penitus funderetur.

Secundo Septembris ægra omni ex parte bene se habuit, cancer pugnum non amplius adæquavit.

Sexto Septembris misit ad me, nunciatura, quod tempore matutino sedens in platea & fructus horæos vendens a subito violento vento ingens frigus per omnes corporis partes senserit, quod mox orti sint enormes ventris dolores, quos sequebatur alvi fluxus admodum copiosus & dolens, atque vires conciderunt ilico.

Jussi, ut statim a pilulis abstineret, & medicamenta simili in morbo convenientia præscripsi.

Altero

Altero mane mihi significari curavit, quod alvi fluxus, & dolores essent æque violenti, quod cum alvo prodeat sanguis, quod sitis sit magna, & accedat frequens animi deliquium.

Unde ego & Dominus *Leber* chirurgus eam eodem adhuc mane accessimus, & quæcunque ego interne aut externe utilia credidi, summa cum attentione adhibui, verum in omnibus fui frustra.

Tertio die facies facta est cadaverosa, & quarto die misera obiit.

Mammam post mortem abscidit Dominus *Leber*, eamque ad domum *Universitatis* adtulit, dum denuo examen medicum fuit.

Tunc vidit *Illustriss.* VAN SWIETEN, & omnes Medicinæ Professores celerem & optimum in hoc desperato casu effectum; unde doluerunt, felicem experimenti progressum fortuita morte turbatum esse.

CASUS

CASUS DUODECIMUS.

DIE quarto April. 1759. celeb. Professor de HAEN foeminam ad me misit, cujus collum innumeri scirrhi occuparunt, quorum plurimi erant maligne exulcerati.

Mamma sinistra quoque tota scirrhosa fuit, & ea ex parte, qua axillam spectabat, livido ac purpureo colore tincta; ibidemque ex angusto foramine copiosus, ardens & erodens ichor effluxit.

Præterea & sub axillis, & in inguinibus multi, diversæ magnitudinis, scirrhi latuerunt.

Sub initium statim ter de die quatuor pilulas huic foeminæ dedi, & infusum herbæ veronicæ superbibendum.

Decimo quarto die ægra rediit, & dixit, quod ex usu harum pilularum scirrhi exulcerati longe majorem ichoris

ris copiam fuderint; verum quod ichor effluendo ne minimum ardorem in cute excitaverit.

Scirrhorum color, antea lividus, nunc naturalis aut rutilus fuit, moles quoque multo minor, major autem colli & glandularum mobilitas.

Ægra quoque sub axillis levamen habuit, etenim brachia facilius movere, & sine dolore (quod antea erat impossibile) arctius corporis trunco applicare potuit.

In mamma color lividus fere totus disparuit, & mamma fuit mollior, mole minor, & ex angusta illius apertura bonum pus prodiit.

In eadem pilularum dosi continuandum tunc putavi, & dedi tantam quantitatem, ut per tres septimanas sufficerent, ne ægra, e longinquo habitans, toties deberet redire.

Absumtis his pilulis rediit, & multi scirrhi jam penitus evanuerunt, ulcera plurima bona cicatrice erant obducta; sub axillis, & in inguinibus tubercula fuerunt valde parva, omnia mobilia, nullo modo dolentia.

Mamma & mole & duritie fere naturalis fuit, & per aperturam paucum pus exprimi potuit.

Pro integro mense tunc copiam pilularum exhibui, non tamen auxi dosin.

Mense elapso rediit ægra, rogans: an pilulas adhucdum deberet continuare, quoniam neque in collo, neque sub axillis aut inguinibus, neque in mamma quid doloris aut incommodi sentiret. Quoniam ulcera essent omnia sanata, & scirrhi adeo parvi, ut jam hos sine omni molestia ferre possset.

Dum mammam consideravi, inveni eam penitus naturalem, apertura erat optime consolidata, versus axillam tuberculum,

berculum, ob parvitatem vix sensibile, tangebatur.

Ulcera colli firmas cicatrices habuerunt, scirrhi vel abierunt penitus, vel fuerunt adeo parvi, ut nec septima pars amplius superfuerit.

Sub axillis unum alterumve tuberculum, pisi magnitudine, repertum est, cætera erant omnia mollia, naturalia.

In inguinibus dixit ægra, quod omnis tumor disparuerit, & quod nunc liberrime ambularet.

Dedi denuo pro quatuor septimanis pilulas, & iussi his absumtis rediret.

Verum eam adhucdum exspecto.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Virgo, 18. ann., a multis annis parotides, glandulas submaxillares, totiusque colli scirrhofas & adeo tumidas habuit, ut collum crassitie caput multum excefferit.

Remedia, ab expertissimis medicis ac chirurgis præscripta, nihil omnino juverunt.

Imo plurimæ partes cœperunt livere, vehementer dolere, tandem in cancrofa & fœtida ulcera abire; accessit sudor nocturnus, virium dejectio, tabes.

Licet hæc ægra ab illis, in quorum servitiis fuit, multum fuerit amata, nihilominus ob tam horrendas exulcerationes, ob ingentem & malignum fœtorem, atque inde timendum contagium, in nostrum nosocomium transferri debuit.

Ego & Dominus *Haffner* chirurgus inter hos scirrhos & ulcera innumeros sinus & fistulas invenimus, præterea ægra fuit valde debilis, & conquesta est, quod ob dolores nocturnos dormire nunquam posset.

Hinc vesperi opio utendum erat.

De die autem bis exhibui tres pilulas cum infuso hederæ terrestris, scabiosæ, veronicæ & multo lacte. Externe adplicuimus fomentum ex cicuta.

Tertio die dolores jam longe erant mitiores, ichor copiosus profluxit, acer quidem, sed minus fœtens, & collum paulisper detumuit.

Octavo die hinc inde bonum pus comparuit, glandulæ plurimæ mobiles factæ sunt, & ægra sine opio cœpit dormire, sudor nocturnus quoque minus copiosus fuit.

Decimo quarto die fere ubique bonum pus fuit, & tumores scirrhusi minores.

Auxi tunc pilularum dosin, & manu ac vesperi quatuor dedi; fomentum ex cicuta sedulo applicatum est.

Trigesimo die sudor nocturnus cessavit penitus, multi sinus jam erant clausi, ulcera optimum habuerunt colorem,

& quædam jam ad sanationem vergebant; tres autem aderant fistulæ callosæ, quæ arte chirurgica debuerunt fecari.

Quadragesimo quarto die jam quædam ulcera coaluerunt, reliqua dederunt pus bonum, tumor colli fuit multo minor, ægra appetitum & vires recuperavit.

Sexagesimo die ulcera fere omnia erant clausa, collum detumuit, & cutis colorem habuit naturalem, omnes glandulæ fuerunt minores, mobiles; verum supra claviculam finistram hæsit scirrhus magnitudine ovum anserinum superans, & percussus edens sonitum cartilaginis, tumor hicce toto hoc tempore ex usu remediorum nullo modo mutatus est.

Septuagesimo quarto die multi scirrho in plures moleculas divisi reperiebantur; in sinistra colli parte una glandula

dula denuo abiit in ulcus, & per tres dies materiam suppurulentam fudit; postea totus faccus collabebatur, & intra paucos dies cicatrix formata est.

Nonagesimo die collum jam in pluribus locis naturalem mollitiem & magnitudinem habuit, neque decima tumoris pars amplius superfuit. Scirrhus tamen supra claviculam in eodem statu permanfit, & quoniam mobilis fuit, atque omni medicamentorum vi restitit, eum scalpello voluimus auferre; ast ægra renuit, & quum jam satis robusta fuit, & collum commode movere potuit, e nosocomio ad suos rediit.

Per binos menses tunc ab omni medicamento abstinuit, & toto hoc tempore scirrhi nec majores nec minores facti sunt.

Tandem me iterum accessit, rogatura: an non & in suo servitio pilulis uti liceret?

Suasi ilico & dedi mane ac vesperitres fumendas.

Post tres septimanas, absumtis pilulis, ad me rediit, & scirrhi erant minores, mobiliiores.

Finita quinta septimana ægra denuo ad me accessit, mihiq̄ue magno cum gaudio ostendit, quod pertinacissimus scirrhus supra claviculam sinistram, quem antea cartilagineum credidimus, nunc esset minor, & divisus in sex tubercula.

Mirabar effectum, quem jam longo tempore exoptavi; suafique, ut nunc mane & vesperi quatuor pilulas fumeret.

Post quatuor septimanas hanc ægram iterum vidi, & erant omnia meliora.

Jam in quintum mensem his pilulis utitur, & nunc jam ter de die sumit sex, nil mali inde sentit, robusta est, bene dormit, libere respirat, quod antea
tea

tea non potuit, bene appetit, alvus prodit quotidie naturalis & rite cocta, scirrhi superstites sensim minuuntur, & omnia, lentam quidem, attamen integram sanationem promittunt.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

DIE 12. Septembr. 1759. me adivit foemina, 40. ann., cujus mamma dextra sex abhinc septimanis intumuit, & abiit in scirrhum.

Doctissimus medicus *Collin*, qui me sua praesentia tunc honoravit, hanc foeminam simul vidit.

Statim in principio dedi ter de die pilulas tres, & jussi, post octiduum rediret.

Rediit tunc aegra plena solatio, quoniam scirrhus erat mollior, & mobilior.

Suasi, ut diligenter continuaret.

Spatio trium septimanarum feci, ut redeunte aegra adesset iterum Dominus

Collin,

Collin, qui summopere miratus est celerem in hac foemina effectum, etenim jam plus quam dimidia scirrhi pars evanuerat.

Pro integro mense tunc sufficientem pilularum copiam dedi, ne aegra, quae integra fere hora abhinc habitavit, toties me accedere cogeretur.

Absumtis his pilulis scirrhus vix amplius ovi magnitudinem habuit.

Præscripsi tunc purgans, & pro altero mense iterum pilulas suppeditavi.

Finito hoc mense, magno cum desiderio hanc foeminam expectavi, verum non amplius rediit.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

VIR (53. ann.) ex impuro coitu malum venereum contraxit, idque partim ex pudore, partim ex pecuniarum defectu neglexit.

Tan-

Tandem intumuit testiculus sinister, vehementer doluit, & totus scirrhosus factus est; & membrum virile in tantam molem excrevit, ut penem equinum longe superaverit.

Denique tribus in locis ex membro fungosæ excrescentiæ ortæ sunt, quæ brevi in fœdissimos canculos abierunt.

Scrotum ipsum cancroso ulcere fuit exesum, atque testiculus sinister totus nudus, exulceratus, cancroso ex scroto pependit.

Hinc miser nec quiete jacere, nec præ dolore dormire, minus autem ambulare potuit.

Unde pessimis his in circumstantiis in nostrum nosocomium ingerebatur.

Dum ego & Dominus *Haffner* chirurgus has partes inspeximus, horruimus præ fœtore; testiculus sinister ex scroto propendens totus erat cancroso, & major, quam duo pugni viriles.

Nec

Nec penis, nec scrotum, nec testiculus rudiores ad tactum tulerunt, etenim prodiit ilico copiosissimus sanguis.

Æger præ debilitate sæpius animi deliquium passus est; fœtor autem tantus fuit, ut inter alios ægros hunc relinquere non potuerimus, sed cogebamur eum separatim ponere.

Sub initium quotidie unciam j. β. corticis peruviani exhibui, ut hac ratione acrimonia corrigeretur, corruptumque a sano secederet.

Verum quarto die æger corticem, quacunque forma exhibitum, ulterius sumere renuit, neque inde vidimus levamen aut ullum mutationem; imo vires ægri magis conciderunt, & appetitus deletus est.

Desperato igitur hoc in casu pilulas & fomentum ex cicuta tentare conclusi.

In principio statim ter de die sex pilulas præbui, & partes affectas fomento diligentissime feci foveri.

Eadem vespera remiserunt dolores, & miser sponte cepit dormire.

Altero die jam multa frustra putrida separabantur, penis detumuit, nec tantus fœtor amplius aderat.

Tertio die omnia iterum fuerunt meliora.

Quarto die in omnibus cancrofis ulceribus pus bonum erat, penis plus quam dimidiam partem suæ magnitudinis amisit, testiculus quoque minor & mollior fuit, ulcera habuerunt pulchrum colorem, æger sine paregorico dormivit, & cepit appetere.

Octavo die penis ad naturalem fere magnitudinem rediit, partes cancrofæ erant multum emendatæ, pus ubique bonum esse continuavit, ex scroto magna frustra secesserunt, testiculus fuit mollis,

mollis, & vix amplius ovum magnitudine adæquavit.

Duodecimo die omnia iterum erant meliora.

Decimo octavo die nil cancrofi amplius videri potuit; testiculus naturalem molem & mollitiem recuperavit, & illud, quod cancrofo ulcere depafatum erat, recrefcere vifum eft.

Scroti labia, optimi coloris, coire ceperunt; in pene, loco cancrofarum excrefcentiarum, jam plana & puriffima ulcera inveniebantur.

Omnes ægri actiones multo erant meliores, vires majores.

His igitur pilulis (eadem femper dofis) & fomento ex cicuta in trigefimum diem continuavi, & tunc fcrotum erat integre fanatum, & ulcera penis multo minora, nitida.

Æger autem quotidie circa vefperas ingrato pruritu per totum corpus vexabatur;

batur; hinc ne quid venerei, intra sanguinem latitantis, alias tristes tragœdias luderet, remediis antivenericis reliquam curam perfecit.

Hoc in casu pilulæ & fomentum plus præstiterunt, quam sperare unquam licuisset.

Doctissimus castrensis medicus *Kollman*, Dominus *Leber* chirurgus nosocomii civici, *Frater Abdon* chirurgus apud fratres misericordes in Leopoldina, aliique mei in hac arte amici, quos ad hunc ægrum videndum adduxi, celeres & vix sperandos effectus vehementer sunt mirati.

CASUS DECIMUS SEXTUS.

FOemina (36. ann.) ex causa ignota binas in colli parte sinistra fistulas habuit, quæ tam numerosos & mirabiles sinus produxerunt, ut dexterimus Dominus *Haffner* stylo suo ad
lin-

linguam, sternum, & inter œsophagum & asperam arteriam ad oppositam colli partem potuerit penetrare ; & quod magis erat mirandum, hi sinus per totum thoracem distribuebantur.

Etenim dum in fistulas arte chirurgica injectiones fiebant, sensit ægra, eas ex parte anteriore ad scrobiculum cordis, ex posteriori autem ad lumbos usque penetrare.

Quod optimus chirurgus facile credidit, nam, ut hi sinus replerentur, sex unciis materiæ injiciendæ plerumque opus fuit.

Ad hoc malum percurandum tentavimus omnia, quæ nobis videbantur congrua, & quæ authores optimi simili in casu commendarunt.

Verum omni omnino effectu caruimus, & postquam per integros sex menses variis decoctis, injectionibus, fomentis, aliisque remediis miseram frustra

tra divexavimus, accesserunt ingentes dolores, & corpus cepit contabescere.

Qua de causa ego & Dominus *Haffner* conclusimus herbam cicutaë in hoc subiecto tentare.

Totum igitur collum & dorsum fomento ex cicuta involvimus.

Bis quotidie Dominus *Haffner* in has fistulas & sinus vi lenissima tenue infusum cicutaë injecit.

Ægra vero mane & vesperi sumsit sex pilulas.

Primo statim die dolores mitigabantur, & ægra sine opio dormivit, quod antea nunquam factum erat.

Tertio die advertit chirurgus has fistulas jam minorem injectionis copiam recipere.

Decimo die ægra bene habuit, & omnia videbantur sanari.

Decimo quarto die vix amplius binæ unciaë poterant injici.

Ægra in dorso tensiones, ad sternum ardorem & in faucibus ficcitatē conquerebatur.

Hinc suasi, ut chirurgus ab injectione infusi cicutæ abstineret, & solum decoctum hordei cum melle rosaceo lenissima manu injiceret.

Hoc factō, intra octiduum omnia sanata sunt, & fistulæ firmas egerunt cicatrices.

Hæc fœmina dein adhuc sex septimanis in nosocomio morata est, & nequamquam vidimus malum recrudescere.

C A S U S D E C I M U S S E P T I M U S.

VIR, cui ex quartana, subito suppressa, durities, unam spithamam longa, & semi spithamam lata, ex anteriore abdominis parte nata est, his folis pilulis, & interpositis quandoque purgan-

purgantibus, spatio quatuor mensium in nosocomio integre curatus est.

Binos adhuc similes casus in meo nosocomio habui, quorum curatio his pilulis optime successit.

Imo eadem pilulæ scirrhum hepatis solverunt, & inde natum icterum fugarunt; verum copiosum serum lactis simul potabatur.

Dum autem post febres intermittentes lien inflatur, & substantia ejus spongiosa redditur, tunc similes pilulæ ad curationem parum conferunt; neque alia medicamenta juvant.

CASUS DECIMUS OCTAVUS.

IN viro quinquagenario, ex cataracta in ambobus oculis cæco, & in meo nosocomio ex acuta convalescente, pilulæ hæ tantum effecerunt, ut intra

duos menses non modo solus ambulare, sed & objecta, & colores potuerit distinguere.

CASUS DECIMUS NONUS.

Virgini, 22. ann., ex incipiente in utroque oculo cataracta, visus adeo debilis factus est, ut jam citra summam attentionem vix amplius sola incedere potuerit.

Ex usu autem harum pilularum intra binos & dimidium menses cataractæ penitus dispulsæ sunt, & visus adeo bonus rediit, ut jam fila per subtilissimarum acuum foramina ducat, & neat accuratissime.

Dominus *Leber* hanc Virginem ad *Illustrissimum* VAN SWIETEN adduxit, ut *Ipsæ* historiam audiret, & videret effectum.

CASUS VIGESIMUS.

Fœmina, 25. ann., strumam scirrhosam habuit, quæ non tantum anteriorem colli partem occupavit, sed & in cavum pectoris penetravit, & respirationem fecit difficilem.

Ufu harum pilularum, spatio quatuor mensium struma partim suppuratione, partim benigna resolutione consumpta est, & respiratio reddebatur liberrima.

Simul sanatum est profundum & malignum in femore sinistro ulcus, quod hucusque omnium medicamentorum viribus repugnavit, & diligentissimum mei nosocomii chirurgum *Haffner*, ultra semi annum defatigavit.

Hæc sunt experimenta, quæ ego integro cum successu institui; alia quidem plura possem recensere, verum, quoniam ad finem perducta non sunt, ea potius silentio prætereunda putavi.

Ne autem mea solummodo tentamina adducantur, & ne ego solus *Cicero* pro domo mea videar, alia quoque, a *Viris* in arte dignissimis facta, paucis juvabit enarrare.

Erant tres sorores, quarum binæ a glandulis colli tumidis & scirrhosis suffocatæ sunt, tertiam autem *Illustriss. nostræ Facultatis Præses Baro VAN SWIETEN* eis pilulis servavit, restituit.

In simili casu, ubi omnia fere artis auxilia frustra sunt exhausta, & ubi ipsa vis electrica sine effectu fuit adhibita, *Perillustris ac celeberrimus Archiater KESTLER* ex usu harum pilularum egregium quoque effectum habuit; & nullum unquam malum symptomata observavit, longo licet tempore quotidie ægræ suæ triginta pilulas, quarum quælibet duorum granorum fuit, exhibuerit.

In nosocomio militari, hic Viennæ in Leopoldina sito, erat miles, cui ex
parotide

parotide dextra scirrhus tantæ molis excrevit, ut totam ejus lateris faciem ad oculum usque occuparit.

Scirrhus hic summo dolore, colore livido & subnigro aliisque pessimis signis tetrum cancrum minitabatur, & inde timendam tabem.

Doctissimus medicus castrensis *Joannes Kollman*, qui huic nosocomio præerat, meas pilulas tunc in usum vocavit, & externe apposuit fomentum ex cicuta.

Quo factò, non solummodo cancrum minas brevi suppressit, sed & tumorem scirrhusum fere totum intra aliquot septimanas dissipavit.

Bonus miles, exiguas scirrhi reliquias flocci faciens jam non amplius in nosocomio morari voluit, unde cæteroquin sanissimus adivit exercitum.

Nobilissima matrona occultum cancrum in ambabus mammis per tres annos celavit.

Tandem dolores facti sunt nimium vehementes, hinc inde in mammis tubera livida prodierunt, quæ pessimam cancri exulcerationem præfagiebant.

His commota Expertissimum hujus civitatis medicum practicum *Josephum Pöck* advocavit, eique suum malum detexit; qui his visis statim concluderat meas pilulas adhibere; quibus id effectum est, ut intra tres septimanas non tantum omnes dolores cessaverint, sed & color subniger, & lividus disparuerit, redieritque color naturalis.

Post aliquot dies tubera recesserunt.

Sesqui menses spatio mammarum durities in superficie cepit mollescere.

Post binos menses magna duritiei portio in minores moleculas dividebatur, quæ dato purgante evanuerunt, & mammarum moles imminuta est.

Hæc matrona, viso tam præclaro effectū, diligentissime & summa cum confi-

confidentia has pilulas affumfit ; atque testata est, quod non tantum in mammis sentiret levamen, sed quod etiam a vomitu & cardialgia, qua antehac aliquoties de die vexabatur, ut & a doloribus rheumaticis, quibus frequenter fuit subjecta, ex usu harum pilularum esset libera.

Optimo in progressu hujus experimenti morbus acutus inflammatorius supervenit, qui lethalis fuit.

Sanguis, in morbo acuto aliquoties e vena missus, semper lardaceus, & valde densus fuit ; hinc non est, cur quidam timeant, has pilulas sanguinem in putridum liquamen convertere.

Per plures septimanas hæc matrona quotidie triginta pilulas affumfit, nec unquam quid mali inde conquesta est.

Ferdinandus Leber, chirurgus nosocomii civici, qui non solum ob egregiam suam in chirurgia experientiam & dexteritatem,

teritatem, sed & ob promptum erga pauperes æque ac divites officium summo opere est laudandus, his pilulis multa quoque experimenta fecit.

Pertinacissimos scirrhos in diversis corporis partibus resolvit.

Cancros plurimos non modo in mammis sed & in facie, ad oculos, nasum &c. emendavit, & quosdam integre curavit.

Omnes suos ægros sub cura illustrissimo VAN SWIETEN ostendit, ut *Is* certus esset de effectu.

Idem *Leber* in variis oculorum vitiis has pilulas bono cum effectu adhibuit, in malis autem inveteratis plerumque frustra fuit. Tentare tamen licet.

Nihilominus mecum observavit Dominus *Leber*, quod omnes ii, qui in cataracta, aut alia humorum in oculis inspissatione his pilulis usi sunt, sub usu pejores non sint facti, licet curam non receperint.

Hinc

Hinc similibus malis hæc pilulæ saltem limites ponunt, & experientia docuit, quod tunc binæ, mane & vesperi sumtæ, sufficiant.

Effectus autem quandoque valde tardus est, & tertio quartove mense primo fit sensibilis; hinc non illico est desperandum, si intra paucas septimanas ab his pilulis nil mutatur.

Dum hæc scribo, me accedit fœmina (30. aliquot ann.) quam doctissimus ac dexterrimus nosocomii ad S. *Marcum* chirurgus *Rechtberger* tribus abhinc mensibus ad me misit.

Hæc ab aliquibus annis scirrhum in mamma sinistra habuit, qui usu diversorum medicamentorum cepit vehementer dolere, & minitari cancrum.

Re bene considerata statim ter de die exhibui tres pilulas.

Intra paucos dies sedabantur dolores, scirrhus autem immutatus perstitit.

Sensim

Sensim pilularum dosin auxi, donec ægra octodecim per diem assumfit; hac ratione in undecimam septimanam continuatum est; & tunc nullam adhuc mutationem in scirrho inveni.

Hinc ego de effectu dubitavi; ægra tamen contenta, quod dolores filerent, pilulis diligentissime usa est.

Decima tertia septimana scirrhus cepit emolliri, in partes dividi, & tam subito fundi, ut spatio decem dierum vix amplius $\frac{1}{2}$ supersit, & quod superstes tangitur, molle est, & pasta-ceum.



CAPUT III.

COROLLARIA.

Corollar. 1.) **E**X his colligitur, e succo cicutæ, lento igne inspissato, parari remedium maxime innocuum, quod in omni temperamento, ætate, sexu &c. ad satis magnam dosin potest exhiberi.

Corollar. 2.) Hoc remedium nullam corporis actionem, secretionem aut excretionem turbat.

Corollar. 3.) Agit modo insensibili, nec alvum, nec vomitum, nec urinam, nec sudorem movet.

Corollar. 4.) Indurata & scirrhusa in iis etiam casibus resolvit, ubi alia medicamenta, maxime penetrantia, nihil efficiunt.

Est igitur medicamentum summe resolvens.

Corollar.

Corollar. 5.) Quæ non resolvit, ea plerumque ad benignam suppurationem redigit.

Corollar. 6.) Cancro ponit limites.

Corollar. 7.) Acre cancrosum emendat, foetorem dispellit.

Corollar. 8.) Ichorem cancrosum in bonum pus convertit.

Corollar. 9.) Sedat dolores.

Corollar. 10.) Cancrum curat.

Corollar. 11.) Ulcera alias insanabilia sanat.

Corollar. 12.) Fistulas & sinus, ad omnia alia remedia rebelles, claudit, consolidat.

Corollar. 13.) Tumores œdematosos usû externo dissipat.

Corollar. 14.) Visum, cataracta nondum inveterata, demtum quandoque restituit.

Corollar. 15.) Incipientes cataractas aut solvit, aut earum progressum saltem impedit.

M O N I T A.

Ufus docuit :

1^{mo}. **F**oeminas, quæ scirrho aut cancro in mammis laborant, omne manuum exercitium, & celeriore corporis motum debere evitare.

2^{do}. Aërem tamen rusticanum, & leniorem in illo motum curam accelerare.

3^{to}. Nocere iram, tristitiam, & subitum terrorem.

4^{to}. Nocere acida, vinosa, austera, & farinacea, cruda, non fermentata.

5^{to}. Nocere in scirrho inveterato, & cancro omnem adtritum, frictionem, & pressionem.

Hinc duræ & angustæ thoraculæ, & aspera indusia sunt vitanda.

6^{to}. Nocere violentam tussim: etenim ea cancrum excitat, aut reddit

pejo-

pejorem, producit hæmorrhagias, vires debilitat, & hac ratione curam retardat, & fere impossibilem facit.

Fœminæ, quæ difficilem habent respirationem, & anhelant, atque inter tussiendum in cancrosa aut scirrhusa mamma acutissimos dolores sentiunt, mammamque quasi chorda violentissime constringi & tussi intra pectus trahi putant, plerumque habent pulmones scirrhusos, & ea in parte cum pleura firmissime concretos.

Hinc cura difficilior & fere impossibilis.

Experientia didici has pilulas phthificis nullo modo obesse, nec impedire sputa, sed ea potius promovere.



QUAE-

QUAESTIONES

IN multis casibus solum succum cicutaë in pilulas redactum hucusque tentavi, ut hoc modo accurate experirer, quid hic solus & simplex posset præstare.

Verum quandoque vidi effectum esse celerem, quandoque admodum tardum: unde quæritur an in tarda hujus medicamenti actione non possit externis remediis effectus diversa ratione accelerari?

Quæstio 1^{ma}. An non conveniret aliquoties per diem ad partem affectam calidos vapores decocti cicutaë adplicare?

Quæstio 2^{da}. An fors esset utilius, si cataplasma ex cicuta paratum læsis partibus continuo applicaretur?

H

Plura

Plura experimenta demonstrarunt simile fomentum in his circumstantiis valde utile esse.

Sunt tamen ægri, qui hoc nudæ cuti applicatum ferre non possunt, hinc:

Quæstio 3^{ta}. An non præstaret horum ægrorum cutim emplastro diapompholygos tegere, & tectam tali cataplasmate fovere?

Quæstio 4^{ta} An, dum scirrhum adhuc irritare licet, non prodesset, si emplastrum de cicuta, de ladano, aut de galbano apponeretur?

Quæstio 5^{ta}. An non requiritur, ut sub usu pilularum ægris, quorum vires id ferre videntur, sæpius detur purgans? etenim materies soluta, nulla sensibili evacuatione, educitur.

Tentamina, circa hanc quæstionem in aliquibus ægris facta, simile quid suadere

suadere videntur; interim tamen necessitas id non postulat.

Quæstio 6^{ta}. Si casus obvenirent, in quibus acre cancrorum admodum profundas egit radices, omnesque humores corrumpit, & solida adeo debilitavit, ut hæ pilulæ solæ haud sufficerent; an tunc non deberet corticem peruvianum his jungere? ut hac ratione ex utriusque virtute pararetur medicamentum, quod omni indicationi faceret satis.

Neceffe est igitur ut quivis medicus symptomatibus supervenientibus singulari sua industria & judicio obveniat.

His præmissis, jam omnes & singulos medicos oro, ut hoc extractum, quacunque data occasione, tentent & adhibeant; sed obsecro simul, ut omne præjudicium omneque invidiarum genus deponant: etenim cogitent familia salutem proximi adtinere.


Si

Si ex usu, quid sinistri experiantur, inquirent sedulo, an id ex nimia mali vehementia? an ex errore, ab ægro aut adstantibus commisso? an ex ipso medicamento proficiscatur? Nec ilico sine omni judicio & disquisitione remedium, tanquam nocivum aut iners, condemnent; si vero noverint meliora, ea, non vellem, in favorem hujus remedii, negligenter.



ERRATA.

Præf. pag. 2. lin. 3. lege *desidero*. p. 8. lin. 18, 19. leg. *intumuit*. p. 15. l. 5. leg. *continuato*. ibid. l. ult. leg. *enarravit*. p. 29. l. 10. leg. *tota*. p. 32. l. 14. post *emplastrum* dele,





Cicuta aff. *HALL* *Aliorum*
Germanis, Schierling. Gallis, Cigue.
Anglis, Common Hemlock.
Cicuta major C. B. *TOUR.*
Cicutaria vulgaris *CLUS.*
Cicuta vulgaris major *MORS.*
Conium maculatum *L.* *F.N.*

Augustin. Cipp. *Medicina* Stud. sculp. Vienna.
et delmeavit ibidem. 1762

ANTONII STÖRCK,

SACRÆ CÆSAR. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARII
AULICI, ARCHIATRI, ET IN NOSOCOMIO CIVICO
PAZMARIANO PHYSICI,

SUPPLEMENTUM NECESSARIUM

DE
CICUTA,

UBI SIMUL JUNGITUR CICUTÆ IMAGO,
ÆRE EXCUSA.



VINDOBONÆ,

TYPIS, JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAR. REGIÆ
APOST. MAJESTATIS AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ

MDCCLXI.

MEMORANDUM

TO THE PRESIDENT

FROM THE SECRETARY

DATE

SUBJECT



PRAEFATIO.

Magnorum medicamentorum
historias si attente legimus,
videmus: de eorum efficacia sem-
per & ubique acriter fuisse disce-
ptatum.

Fuerunt medici, qui ea ilico
damnarunt, & tanquam noxia pro-
scripserunt.

Alii autem, factis contrariis experimentis, ea laudarunt, commendaruntque, ut maxime salutaria.

Doctis his litigiis tandem res in ordinem fuit redacta, & recepta in usum communem.

Idem cum cicuta futurum, clare prævideo.

Interim doleo vehementer, quosdam viros medicos, in magna dignitate constitutos, nunc nimis præcociter & severe protulisse suam contra cicutam sententiam, eamque, ut plantam venenatam & inutilem, damnasse, aliis dissuasisse.

Sapit hoc nimiam contradicendi

di cupidinem, & medicinæ rationali repugnat.

Quod autem omnium mihi acerbissimum accidit, est: eos experiri summos adversarios, quos magna semper pietate colui, quos omni officii genere affeci, & quorum potius fuisset, meas tueri partes, quam lædere.

Verum nec inde moveor, nec vindictam fitio: & ut hi mei adversarii vere agnoscant, meum animum propterea nequaquam ab iis esse alienatum (licet opinione dissentiam) has observationes in ipsorum honorem scribo, ipsis offero, & debita reverentia dedico.

Nec tamen ullo modo eos oro, ut
quid in mei favorem faciant; ament
tantum veritatem, agant justos rei
arbitros, & id fateantur ingenue,
quod cedit in decumbentis salu-
tem.

Inanes quorundam clamores non
curo, flocci facio.

Qui foliorum strepitum timet, ne
adeat sylvam.





SUPPLEMENTUM
NECESSARIUM

DE
CICUTA.

Binis voluminibus jam demonstra-
vi, confirmavique, quænam insit ci-
cutæ vis, & efficacia.

Non opus propterea fuisset, ut
denuo super eadem materia uterer ca-
lamo.

Quum vero multi adhuc sint, qui
meæ cicutæ ideam non habent, deque
ejus specie, & caractere disceptant,

necessarium erat, hanc plantam ære excudere.

Ut autem hoc rite, & ad omnium intellectum, facillimum, clarissimum, & sine errore fieret, rogavi celeberrimum ac indefessum institutionum, & materiæ medicæ Professore *Crantz*, velit Is hanc herbam in suum hortum botanicum suscipere, & accuratissimæ expressionis gerere curam.

Præstitit hoc lubentissime, & tradidit mihi hanc tabulam, a doctissimo Domino *Cipps* Medicinæ Candidato pictam, & sculptam.

Ex hac quivis in re herbaria vel parum peritus, primo statim intuitu plantam distinguet, & ab omnibus aliis dignoscet.

Extractum vero non ubique ad
meam

meam mentem paratur: fumunt enim fucci expressi ingentem copiam, eam in vase cupreo igne satis forti coquunt, foetor inde ingens longe lateque spargitur, avolat, quod est optimum; praeterea nimium sollicite succum & extractum purificant.

Fit hac ratione massa nigricans, tenax, haud multum foetens.

Mea autem methodo dum paratur, debet esse extractum crassum, ex fusco viridescens, & ingratisimum habens foetorem (qualem mures domestici spargunt)

Quidam alias herbas cum cicuta miscuerunt.

Quidam relinquunt herbam recentem collectam in uno cumulo per plures dies, unde flaccescit, & quæ-

dam pars corrumpitur, succus lente-
fcit, fit mucilaginosus.

Subinde succum expressum non ili-
co igni admovent, sed per duos ter-
nosve dies expectant, donec tempus
ipsis commodum, & opportunum videat-
tur; fit tunc in succo alteratio, & vir-
tus minuitur.

Hac occasione putavi: non incon-
gruum fore, si iterum adducam quas-
dam curationes, quas sola cicuta ab
eo tempore, quo secundus libellus pro-
diit, perfeci.

Brevis ero, ne otium turbem, aut
tempus, medicis adeo pretiosum, lon-
ga narratione absumam.

Ubi dico, me *cicutam* dedisse, sem-
per intelligo cicutæ extractum, id no-
to, ut lites de vocabulo evitem.

nec

Nec ubique medicamenti dosin addidi, quoniam fere semper a parva quantitate incepti, & eousque sensim ascendi, donec sequeretur bonus effectus, & tunc substiti, nec amplius dosin auxi.

CASUS PRIMUS.

Vir, triginta aliquot annorum per plures menses habuit ingentem in abdomine dolorem & continuum ardorem; non appetiit, urina fuit stranguiosa, alvus frequens, semper pauca, ardens, & cum tenesmo juncta; color faciei pallidus, corpus totum macilentum.

Remedia cujuscunque generis tentata, nil profuerunt, imo turbabatur somnus, & incipiebant deficere vires.

Cicuta sola spatio trium septimanarum juvit; rediit appetitus, alvus fiebat naturalis, urina libere fluxit, accessit totius corporis robur, & perfectæ sanitatis habitus.

CASUS SECUNDUS.

Juvenis, 15 annorum, jam a tribus annis in gena sinistra gessit tumorem magnitudine nucis juglandis.

Hunc tumorem penetravit fistula, ichorem plorans.

Medici & chirurgi frustra suam artem hic tentarunt longo tempore.

Data autem cicuta, & disparuit tumor, & apertura fistulæ perfecte coaluit, & cessarunt omnes dolores.

CASUS TERTIUS.

Fœmina, 40 aliquot annorum, ultra anni spatium, in manu habuit

buit pessimam serpiginem, & cutis in pluribus partibus ad carnem usque findebatur.

Nec externa remedia, nec interna purgantia & sanguinem purificantia attulerunt levamen.

Cicuta intra binos menses sanavit.

CASUS QUARTUS.

Fœmina, 30 aliquot annorum, in mamma dextra jam a pluribus mensibus scirrhum magnæ molis advertit.

Applicabatur emplastrum, quo & durities & mammæ volumen augebantur, extensumque malum fuit infra axillam.

Color fiebat purpureus, hinc inde erant striæ lividæ, & dolor adeo vehemens, ut diu noctuque ægra dormire non potuerit.

Tan.

Tandem tumor elevabatur in tubera, quæ pessimam exulcerationem minabantur.

Ego acersitus rogavi, vellet omne emplastrum removere, nihilque adponere exterius præter linteum molle.

Pro interno remedio solum cicutæ extractum præbui.

Spatio octo dierum cessavit fere omnis dolor, mutatus est tumoris color, subsederuntque tubera.

Et nona septimana mamma naturalis fuit.

Maxima dosis per diem erat drachma dimidia.

CASUS QUINTUS.

Fæmina, 27 annorum, a viginti tribus septimanis fere omnia ingesta vomitu rejecit, & fere contabuit.

Me.

Medici, chirurgi, agyrtæ, & vetulæ jam omnia artis auxilia attulerunt citra ullam mali emendationem.

Exhibui extracti cicutæ grana viginti in mistura quatuor unciarum, ex qua fumbatur omni bihorio cochleare unum, & brevi cessavit vomitus, fæmina appetit, & redeunt vires.

Et jam tertius mensis est, quo nec vomitus signa advertuntur.

CASUS SEXTUS.

VIr, septuaginta annorum, jam in quintum annum ulcus in brachio habuit; acre transsudans vicinas partes continuo arrosit, & excitavit arduentes pustulas.

Remedia adhibita malum quidem levarunt subinde, mox autem iterum ortus est pruritus, rupta est cuticula,
&

& ulcus denuo cœpit acerrimum ichorem plorare.

Sumpfit dein æger, me suadente, omni mane grana sex extracti cicutæ & totidem vesperi per quinque septimanas, externe applicatum est emplastrum diapompholygos; & jam nunc in sextum mensem firmiter clausum est ulcus, & senex bona gaudet valetudine.

CASUS SEPTIMUS.

Nobilis matrona mammam utramque habuit scirrhosam magnam.

Emplastrum appositum omnia irritavit, excitavitque dolores magnos.

Papilla mammæ dextræ fuit solito duplo major, exulcerata, & continuo ploravit ichorem acrem, erodentem, tumor jam infra axillas extendebatur.

Præ dolore hæc matrona fere nec

lo-

loqui, minus ridere, aut libere respirare potuit.

Data cicuta malum mox emendabatur, papilla intra quatuor septimanas ad statum naturalem redacta est, & quarto mense mammæ ambæ fuerunt sanæ.

Neque opus erat, dosin ultra octo-
décim grana per diem augere.

CASUS OCTAVUS.

Vir, 30 aliquot annorum, tumorem pugno virili majorem in colli parte dextra habuit jam a longo tempore.

Erat præterea cachecticus, laborabat vehementibus doloribus, qui totum corpus & omnia membra die noctuque torquebant.

Minuebatur propterea appetitus,

B

&

& supervenit corporis macies, & faciei color ex flavo fuscus.

Quæcunque ad sanandum fuerunt adhibita, nil profuerunt.

Quamprimum autem bonus vir me consuluit, dedi cicutam, qua intra paucos dies omnia mutabantur in melius, & post binos menses aderat sanitas.

CASUS NONUS.

FÆmina, 36 annorum, ulcera maligna, quæ nasi apicem, nasi alas, & totum oris labium superius profunde exedebant faciemque totam aspectu turpissimam efficiebant, a binis annis habuit.

Et omnes hæ partes erant lividæ, duræ, tumentes, & dolor vehemens noctes infomnes reddidit.

Ichor

Ichor continuo emanans partes adjacentes arrosit.

Remedia purgantia, antiscorbutica, mercurialia, sanguinem depurantia nil mutarunt, & malum videbatur inde longe pejus fieri.

Adhibita cicuta ichor copiosissimus, sed longe blandior, effluxit, mox partes omnes detumuerunt, dolor evanuit, lividus color mutatus est in naturalem.

Spacio trium septimanarum ingens observabatur mutatio in melius, & ægra fuit longe robustior, pinguior.

Abstinuit tunc per aliquot tempus a cicuta, verum res mox iterum in pejus ivit, & dolores aucti sunt.

Quamprimum autem cicuta iterum cœpit uti, omnia mala symptomata dis-

paruerunt, & continuato dein usu fescui mensis spatio ulcera cicatrice obducta sunt, & omnis tumor evanuit.

CASUS DECIMUS.

FÆmina, 32 annorum, a sex annis habuit dolorem in inguine dextro, aderat præterea ibi tumor durus, & ex utero exstillavit materies acris, purulenta.

Causam hujus mali in ultimum partum rejecit, qui minus felix fuit, & obstetrix magna vi evulsi placentam.

Nec Balnea nec medicamenta, jam in sextum annum adhibita, malum mutarunt.

Usu autem cicutæ spatio sex septimanarum tumor disparuit, fieset dolor, & cessat fluxus materiei acris.

CASUS UNDECIMUS.

Homo, 29 annorum, variis malis venereis per multos annos vexatus est, nunquam autem integre curabatur.

Glandulæ colli, inguinum, circa aures, sub axillis &c. demum intumuerunt, multumque dolorem diu noctuque ægro crearunt.

Remedia antivenerica, & in his casibus alias optima, malum auxerunt, & timenda erat consumptio.

Unde abstinuit ab omni remedio suadentibus Medicis.

Res inde nec in melius, nec in pejus mutabatur, nisi quod dolores subinde fuerint admodum atroces.

Tandem derelictus est penitus a suo medico ordinario, qui dixit: rem naturæ committeret.

B 3 Æger

Æger autem in aliquot aliis vidit bonum effectum cicutæ; unde spe fretus me accessit, rogavitque: an non & sibi conveniret hoc remedium.

Suasi illico, & spatium duorum mensium erat curatus, & nihil de scirrhis superfuit.

CASUS DUODECIMUS.

Virgo, 17 annorum, in tertium annum spinam ventosam habuit in brachio dextro.

Aderant simul foeda ibi ulcera.

Remedia fere innumera externa internaque nil effecerunt.

Venter fiebat durus, magnus, membra occupavit dolor dilacerans, accessit cachexia, virium dejectio, macies.

Cicuta sola ventrem ad molem na-

tu-

turalem reduxit, dispulit dolores, cachexiam, maciem; & sanavit ulcera, & spinam ventosam.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Puer septem annorum, glandulas omnes colli & circa aures habuit scirrholas, magnas, dolentes.

Venter præterea quoque durus, & magnus fuit.

Dabantur mane grana sex extracti cicutæ, & totidem vespere, celer erat inde effectus, atque omnes tumores intra decem septimanas evanuerunt.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

FÆmina, 25 annorum, jam in quartum annum tussim vehementem habuit, & prurimum ingratissimum per totum corpus.

Subinde per universam cutim proruperunt pustulæ albicantes, pellucidæ, urentes, rodentes.

Longo remediorum usu tandem cepit contabescere.

Hoc in statu exhibui bis quotidie quatuor grana extracti cicutæ; & mox prodixit sputis copiosum ac tenacissimum gluten, disparuit pruritus, nunc redeunt vires, bonusque corporis habitus, & adest sanitas.

Hæc dosis non erat augenda, quoniam præstitit, quod optabatur.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

Vir, 60 aliquot annorum, post febrem intermittentem habuit ventrem inflatum, hypochondrium dextrum tensum, durum, faciem flavam non appetiit, membra dolore noctur-

no excruciantur, & erant emaciata.

Cicuta hunc integre restituit.

CASUS DECIMUS SEXTUS.

Seni, 70 annorum, vomitus violentissimus, quo jam in tertium mensem laboravit, nullo remedio fisti potuit.

Cicuta, in mistura soluta, hunc brevi inhibuit, compescuit.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

Infans, trium annorum rachiticus nec pedibus poterat insistere, nec libere respirare.

Cicuta fecit, ut morbus totus disparuerit, ut infans respiret commode, curratque alacriter, cæterosque suos fratres sanitate superet, similes casus plures habeo.

In quibusdam quatuor aut sex grana per diem sufficiunt, in aliquibus vero debet dosis ad grana decem, duodecim, aut viginti augeri.

CASUS DECIMUS OCTAVUS.

Virgo, 26 annorum, uteri hæmorrhagiis vehementissimis ab aliquot annis erat subjecta; & fluxu sanguinis cessante prodibat ex utero materies crassa, subflava, acris, omnia erodens.

Alii celeberrimi Medici, egoque longo tempore tentavimus remedia fere innumera, levamen autem inde ægra nullum sensit, imo fiebat cachectica, & intumuit.

In casu adeo rebelli volui experire, quid cicuta sola efficeret; dedi propterea ter quotidie tres pilulas, quarum quælibet habuit grana tria. Post

Post paucos dies vidi totius corporis colorem mutari in naturalem, augeri vires, vigere appetitum; prodiitque urina copiosa cum multo glutine.

Intra mensis spatium totus morbus jam longe aliam faciem habebat.

Etenim libera erat respiratio, quæ antea a minimo motu fere suffocabatur, filuit anxia cordis palpitatio, & somnus fiebat tranquillus.

Quod autem maximum, cessarunt uteri hæmorrhagiæ, comparuitque fluxus menstruus debito tempore, debita copia, & qualitate.

Materies utero effluens nec amplius crassa, nec acris fuit.

Post binos menses hæc optime sana omnibus videbatur, & paucum tantum

tum, blandumque ferum ex utero exstillavit.

CASUS DECIMUS NONUS.

VIr, sexagenario major, sub mento tumorem magnitudine ovi asserini & lapidis instar durum, dolentemque habuit, qui immobilis & immutatus perstitit, licet remedia interna externaque fuissent longo tempore tentata.

Cicuta eum autem solvit, dissipavit spatio duorum mensium.

CASUS VIGESIMUS.

FÆmina, 40 annorum, cachectica, melancholica, cœpit sensim contabescere.

Nullum in corpore manifestum vitium, quod huic morbo causam præberet, poterat detegi.

Facies erat terrei coloris , oculi profundi , vox debilis , cordis palpitatio frequens , respiratio ex paulo fortiori motu fiebat anxia , brevis ; appetitus erat penitus deletus.

Remedia , alias usitata in similibus casibus , nullum levamen attulerunt.

Tres autem cicutæ unciaë , successive deglutitæ , restituerunt appetitum , corporis vigorem , animi hilaritatem ; correxerunt cachexiam , & jam hæc fæmina cum omnium admiratione optata sanitate fruitur.

Cachexia & corporis attenuatio , si non pendet a vomica intus latente , aut a corrupto quodam viscere , cicuta plerumque curatur.

CASUS VIGESIMUS PRIMUS.

DEcennis puer a spina ventosa per totum corpus & circa omnem fere articulationem, ut & in facie, & circa oculos misere exulceratus, emaciatus, & totus cacheticus per plures annos varia ab optimis medicis frustra assumpsit, imo morbus semper ruit in pejus.

Data sola cicuta coaluerunt jam omnia ulcera, nec cicatrices foedæ sunt, magna ossium fragm antefecerunt, adsunt bonæ vires, naturalis faciei color, & habitus totius corporis est sanus.

Sensim augendo dosin jam per plures septimanas drachmam integram extracti cicutæ quotidie assumpsit.

CASUS VIGESIMUS SECUNDUS.

FÆmina, quadraginta major cancro aperto, miserrime exulcerato, jam in secundum annum laboravit.

Ufu interno externoque cicutæ ulcus totum jam fere coaluit.

Erat antea tota macilenta, noctu sudavit, non appetiit.

Nunc autem adfunt optimæ vires, color faciei bonus, somnus tranquillus, abest dolor, cessavit sudor, evanuit macies.

Datur jam quotidie drachma una cum dimidia de cicutæ extracto.

In alia fæmina, triginta aliquot annorum, cancrum apertum, magnum, solo cicutæ usu intra sex septimanas ad exiguam molem redegi; & jam incipit formari cicatrix.

Hi

Hi casus in civitatis praxi mihi ob-
venerunt, ea autem, quæ in nosocomio
vidi, & quæ certo mira sunt, & orbis
litterati adtentionem merentur, hic
referre non potui, quoniam Dominus
Collin, optimus meus collega, ea fide-
liter describit, & brevi dabit prælo.

Adeo bonos, & adeo manifestos de
cicuta in nosocomio effectus quotidie
videmus, ut non tantum artis studiosi,
sed alii ignari, qui circa ægros sunt,
mirentur, obstupescant.

Verumtamen sunt quidam casus,
qui non succedunt.

Morbus enim si jam nimium fue-
rit progressus, aut si totius corporis
habitus fuerit penitus destructus, quis
est, qui curabit? aut quænam Medici-
na sanitatem promittet?

Nec

Nos nec facimus , nec cupimus a nostris medicamentis miracula , sed attendimus quousque possimus arte pervenire.

Si obstaculum invenimus , consideramus : an id arte superandum ; dum id præstare non possumus , agnoscimus nos esse homines , & adhuc multa ignorare.

Nequaquam nobis imaginamur , nos aliis esse arte majores , sed cupimus quotidie vel ab infimis doceri.

Rogamus autem quoque alios , ut eadem mente in nos utantur , si erramus , aut erravimus , nobis monstrent debita amicitia & decenti methodo errorem ; & nec erubescemus meliora erudiri , nec erimus pertinaces.

COROLLARIUM PRIMUM.

Cicutæ extractum est remedium maxime innocuum.

Potest, sensim augendo dosin, exhiberi per diem ad drachmas duas, tres, quatuorve.

Et tantæ dosis usus potest per plures septimanas tuto continuari.

Non nocet cicuta infantibus, nec pueris, nec mediæ ætatis hominibus, nec senibus, nec decrepitis, nec fœminis gravidis, nec embryoni in utero latenti, nec nobili, nec plebejo.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Cicuta nec majorem motum, nec in sanguinis circulo turbam excitat.

Neque refrigerat, nec calefacit.

COROLLARIUM TERTIUM.

Cicutæ extractum est medicamentum efficacissimum.

Raro tamen alvum movet, & rarissime vomitum, quandoque transpirationem auget, sæpe autem urinam copiosam & glutinosam prolicit.

In plurimis tamen ægris nullam excretionem sensibilibiter auget.

COROLLARIUM QUARTUM.

Cicutæ extractum vim maximam resolvendi habet, & ibi sæpe penetrat, & illuc pertingit, quo fortissima hucusque cognita remedia pervenire non potuerunt.

Obstructa referat; hinc sanguinis circulum turbatum, & impeditum redigit in ordinem.

Unde languorem, torporem, doloremque in membris (a simili causa pendentem) tollit.

Mentem reddit serenam, corpus ad agilitatem roburque naturale disponit.

Auget secretiones, unde sæpe aures, nares, os, faucesque ficcas, reddit humidas, transpirantes.

Viros steriles, ob vasorum impermeabilitatem aut obstructionem, reddit fecundos.

Fœminarum uterum mucosum induratumque referat, fluxui menstruo a simili causa impedito viam pandit, & conceptioni parat locum.

Infantes a rachitide liberat.

Membris sæpe stuporem, frigus, insensibilitatem, & marcorem auffert; atque efficit, ut redeat naturalis calor,

lor, musculorum vigor, & torofitas, sensusque necessarius.

Eadem ratione oculorum vasa liberat, visum impeditum restituit, dispellit quandoque amaurofin.

Huic eidem remedio sæpe surditas cedit; sæpe odoratus perditus ejus usu iterum restituitur; loquela impedita, fit sæpe libera, distincta.

Resolvendo tollitur sæpe rheumatismus, aut dolor articulorum inveteratus, & pertinacissimus.

COROLLARIUM QUINTUM.

Cicuta tumores ab obstructione ortos solvit, funditque scirrhos etiam antiquos, & omnibus aliis efficacissimis remediis resistentes.

Nec interest in quam corporis regione tales tumores lateant; æquali

vi in omnes partes agit: sic referat glandulas sublinguales, subaxillares, circa aures, in collo, sub axillis, in pectore, ventre, inguinibus, in ano, uteri vagina, utero, pene, scroto, testiculis &c.

Ventris scirrhus solvendo sæpe hydropem curat.

Infantum ventres duros infarctosque emollit, & ad statum naturalem reducit.

Unde sæpe cachexiam corrigit, & ipsam phthisin, aut hæcticam febrem fugat, sanat.

Pulmonum scirrhus fundit, producitque sputum glutinosum, hinc tollit difficilem respirationem, sudorem nocturnum, tabem.

Articulorum tumores dissipat , & reddit flexilitatem , partiumque motum.

COROLLARIUM SEXTUM.

Cicuta subinde fundit cataractas , aut eorum progressum impedit.

Et hac ratione visum conservat , aut auget , aut perditum restituit.

COROLLARIUM SEPTIMUM.

Sanguinis acrimoniam emendat & morbos inde pendentes tollit.

Curat acres fluxiones , falsedines , pruritus , serpiginem , tineam pessimam , inveteratam & ad omnia rebellem scabiem.

Sanat ulcera maxime maligna , fistulas , sinus,

COROLLARIUM OCTAVUM.

Tollit ossium cariem, aufert corruptionem; lamellarum separationem adjuvat.

Hinc remedium est in spina ventosa.

COROLLARIUM NONUM.

Cancrum curat, aut emendat ejus acrimoniam, pusque bonum inducit, sopit dolores.

COROLLARIUM DECIMUM.

Remedium est contra fluorem album malignum, contra gonorrhæam inveteratam, rebellem.

COROLLARIUM UNDECIMUM.

Vomitum sistit, & pertinacissimas cardialgias.

COROLLARIUM DUODECIMUM.

Tollit reliquias ex morbo venereo superstites, quæ nulli alii remedio cedunt.

CO-

COROLL. DECIMUM TERTIUM.

Cicuta curat morbos, qui post malignas variolas sequuntur.

Ad hoc confirmandum binas mihi historias scripsit celeberrimus hujus civitatis medicus Dominus *Lebmacher*.

Historia prima est de proprio ejus filiolo, quam ita habet: „ charissimus „ meus quinque mensium filius, „ nissimus, vigesimo sexto Februario „ anni 1760 variolis corripitur, quæ, „ licet discretæ, non tamen adeo bonæ „ indolis erant.

„ His dum nono morbi die subita „ diarrhœa accederet, factum est, ut „ omnes finistri lateris pustulæ a facie „ ad pedem usque collaberentur, dum „ illæ lateris dextri elevatæ manerent.

„ Dum hæc fiunt , brachium totum
„ finistrum , genu pesque sinister ex-
„ tremus mirum in modum intumue-
„ runt , cum motus impotentia , &
„ dolore summo ; quem misellus tri-
„ stissimo ejulatu , si attrectaretur , te-
„ stabatur.

„ Verum hæc mala nullo aperturæ,
„ nec natura , nec arte faciendæ , in-
„ dicio industria dexterrimi chirurgi
„ *Leber* quatuor fere mensium spatio
„ percurata sunt , ut nullum sive mo-
„ tus sive alterius actionis impedimen-
„ tum superfuerit.

„ Interim cum morosus puer neque
„ in variolis , neque toto alio tempo-
„ de ullum medicamentum , seu vi seu
„ fraude assumeret , quin illud subito
„ ore redderet , nec lac maternum cum

„ ci-

” cibis lacteis demulcendæ cacochy-
” miæ variolosæ sufficeret, successu tem-
” poris totum corpus innumeris, icho-
” rosis, pessimis ulceribus a vertice
” ad plantam usque ita depascebatur,
” ut præter turgidum abdomen sola
” ulcerosa cutis ossa tegeret.

” Suo fato in deplorando hoc sta-
” tu usque ad vigessimum primum æta-
” tis mensem, Junium nempe 1761 re-
” lictus puer nullam omnino salutis
” spem dederat, omnibus quotidie in-
” pejus ruentibus. Volui tandem ten-
” tare quid extractum cicutæ, quo-
” modocunque ingestum, in hoc mor-
” bo efficere possit.

” Dedi itaque ad initium Junii quo-
” tidie grana duo unum mane in bacca-
” rum caffèe & hordei tosti decocto

” te-

” tenuiori , addito lacte , & alterum
” vesperi, ne adverteret, in potu cocco-
” latae.

” Sic sensim dosim auxi, ut quoti-
” die grana sex sumeret, nulla interim
” habita dietæ ratione.

” His factum est, ut ulcera bonum
” pus fundere, depurari, consolidari,
” in toto corpore evanescere incipe-
” rent, una alterave crusta in parte
” capillata capitis restante.

” Viribus jam medio Julii ita auctis,
” ut agilis in cubiculo forisque erecto
” capite, oculis nitidis, apertis, cur-
” reret, nec solis radios, nec candelæ
” lumen formidans, quod per duos
” menses ob inflammatos oculos ad-
” motis semper ad easdem manibus de-
” misso capite ferre non potuit.

” Sic

” Sic sensim morosissimus antea
” puer jam tota fere die ludibundus
” alacriter currit.

Sumpsit autem extracti cicutæ drachmas sex, nec aliud præterea medicamentum.

Lectores optimi! si vel unicus hicce casus esset: an non cicuta maximam laudem mereretur?

Data est cicuta infanti extenuato, ulcerato, pessime cachectico, curatus inde est hicce infans.

Est igitur cicuta remedium innocens, est remedium efficax.

Sunt quidem terribiles in medicina calculatores, qui forsan hanc curationem in decoctum hordei tosti, vel infusum caffèe, vel in coccolatam, vel in vim naturæ ponent.

Ve-

Verum sciant hi, hunc infantem hos potus jam ante usum cicutæ assump-
fisse, & tamen res quotidie ruit in
pejus, hinc tunc nec vis naturæ egit,
nec hicce potus. Sed quam primum
cicutæ extractum datum fuit, infans
coepit melius se habere.

Unde tibi, cicuta! laus debetur.

Secunda historia, ab eodem doctissi-
mo viro mihi communicata, est sequens:

” Sub finem Junii 1761 forte con-
” veni nobilem quandam foeminam
” viginti trium annorum, quæ octo-
” decim abhinc annis variolis confluen-
” tibus laboraverat, quarum tristes
” reliquias adhucdum luget; præter
” amissum enim dextrum oculum ul-
” cus in gena dextra cum tumore duro
” habet.

” Va-

” Varia, ut illa narrabat, interna, exter-
” na ad hoc consolidandum tentaban-
” tur remedia; sed omnia (ipsa quoque
” salivatio) incassum adhibita fuerunt.

” Boni de extracto cicutæ in simili
” etiam morbo successus memor eidem
” hoc remedium suasi.

” Quæ licet medicamentorum jam
” pertæsa, annuit tamen.

” Incepit itaque prima Julii fumere de
” cicutæ extracto quotidie grana octo.

” Ulcus remoto emplastro, nescio
” quali, linteo, decocto cicutæ madi-
” do, foveri curavi.

” Post octiduum jam tumor minor
” molliorque apparuit, & in margine
” ulceris levia cicatricis formandæ in-
” dicia videbantur.

” Interim in medio ulceris hinc in-

” de

” de caro fungosa excrevit, quæ in-
” sperfo cicutæ pulvere absumpta est.

” Crustam vero melle rosarum, cum
” eodem pulvere permisto, abstuli,
” quæ toties repetebantur, quoties
” fungosa caro repululavit.

” Interea numerum pilularum fen-
” sim auxi ita, ut tribus elapsis heb-
” domadibus jam quotidie grana tri-
” ginta duo sumeret.

” In qua dosi hucusque permansi
” uno alterove die intermisso.

” Sub hoc tempus tumor, durities
” fere penitus disparuerunt, ulcus de-
” purari, exficcari, & levi pellicula
” obduci cœpit, jamque ita clausum
” per sex hebdomadas manet.

” Perget hæc fœmina in eadem cicu-
” tæ dosi, donec firma fuerit cicatrix.

Ab

” Ab initio Junii hucusque ad finem
nempe Septembris jam sumpsit uncias
” quatuor extracti cicutæ.

” Ex nullo alio medicamento per
octodecim annos quidquam profecit.

” Nunc autem usu cicutæ appeti-
” tum augeri sentit, pinguefcit, dolo-
” ribus rheumaticis, quibus alias ve-
” xabatur, libera est, nec de ulla re
” conqueritur.

An quis sanæ mentis homo dubitat
de cicutæ efficacia?

Cum autem cicuta agat in veneno-
sas variolarum reliquias, oritur quæ-
stio: an non & in ipso morbo variolo-
so, maligno, parca dosi, & prudenti
manu atque provido judicio eam ad-
hibere licitum esset? Naturæ anologum
est, & infinitis experienciis constat ve-

D

geta-

getabilia cujuscunque generis in nostro ventriculo posse digeri & in inguinales humores converti; id autem de mineralibus nequaquam verum est.

Vegetabilia igitur facilius a nostra natura feruntur, & longe tutius conveniunt.

Ergo: si aliis licuit in virosa variorum dispositione mercurio uti, & antimonio, cur non & nobis daretur venia sine omni conscientiae remorsu, ut cicutam tentaremus, dum optima remedia hucusque cognita nil efficiant? Hi bini casus a doctissimo Lebmacher hic erant maxime necessarii ad thesin meam comprobendam.

Habeo & ab aliis tam hujatis, quam exteris medicis pulcherrimas, & felicissimas de cicuta historias, habeo

beo & tales, quæ minus feliciter successerunt; verum judicavi omnes has in aliud tempus esse asservandas.

MONITA.

Hæc corollaria ex repetitis experientiis deducta, confirmataque sunt.

Rogo tamen omnes, & singulos medicos, ne sibi persuadeant, me ejus esse opinionis, ut credam: hæc generalia esse & ubique cicutam debere curare.

Dico & fateor palam: me quoque in omni genere habuisse ægros, quibus cicutam non profuit, licet ex morbi similitudine fuisset indicata.

Casus tamen quos enarravi veros esse, non credo, erit, qui dubitet.

Si tamen quis de rei veritate am-

bigeret, meamque probitatem suspectam haberet adeat is *Illustrissimum van Swieten*, qui ægrorum nomina habet, habitationisque locum.

Felicem me! cui sub *tanti viri* auspiciis licet facere medicinam.

Vidi ægras pessimo mammæ cancro laborantes, quas cicuta cito juvit, erant autem plures aliæ, quibus cicuta solummodo leyamen attulit, non vero eas curavit; aliæ ex usu cicutæ nullam expertæ sunt mutationem; una alterave cicutam non potuit ferre.

Idem circa alios morbos, in quibus cicutam laudavi, intellectum volo.

Nam tantum contendo: cicutam quandoque prodesse, & mira præstare, ubi alia medicamenta maxime celebrata, & heroica, nil valent.

Si

Si & alii medici alia adhuc remedia inveniant, poterimus successive omnes difficillimos morbos sanare.

Profecto! mihi gratulor, dum audio, plures esse medicos, qui circa diversa vegetabilia meum exemplum sequuntur.

Quot adhuc millia plantarum sunt? quarum virtutes ignoramus. Verum ad has detegendas industria, labore, providentia, & animo, ab omni secta libero, opus est.

Nec jura in verba magistri.

Præterea tamen firmiter semper in mente erit tenendum: arti & medicamentis esse limites.

Cum jam cicuta in eodem morbo quandoque profit, quandoque autem nil præstet, certum est, debere latere quan-

dam differentiam, cujus signa dignostica nobis adhucdum deficiunt.

Neque ego solus ad ea determinanda sufficio; atque ideo nequaquam potui hucusque dare firmas regulas.

Si autem, qui me adjuvare potuissent, debuissentque, manum traxerunt de tabula, imo acri discursu, & reiteratis ad artis filios sermonibus mea opuscula damnarunt, proscripserunt, igne ferroque ea deleta voluerunt.

Heu me! misera hominum fors.

Ego in binis meis de cicuta libellis casus felices, & infelices enarravi, & monui præterea semper: citutam non omnibus æque profuturam, dixi jam in secundo libello, mihi futurum satis, si usu cicutæ unum ægrum ex centum conservavero & curavero, qui
aliis

aliis medicamentis non potuisset restitui.

Si ex aliis nonaginta novem medicis quivis tantum præstiterit, quantum ego, tunc omnes centum restituentur.

An quis sincerius, honestiusque posset scribere? mundo licet sua experimenta fideliter & caute proponere, cuivis autem medico liberum dein est, velle uti tali remedio, aut velle illud negligere.

Nec honorem, nec gloriam, nec nomen immortale, nec lucrum desidero, vellem tantum esse utilis misero, & ægrotanti humano generi, vellem calamitates levare, auferre; uti cujusvis medici officium postulat, vellem propterea alii me non turbarent.

Aliquot centenas libras extracti ci-

D 4

cutæ

cutæ ægris exhibui, & vera conscientia affirmo: me nulli unquam nocuisse; etenim dum vidi rem bono esse in tramite acriter perexi, continuavi, auxi dosin; quamprimum autem observavi (quod quidem rarissime accidit) ægrum inde bene non habere, abstinui seposuique cicutam. Ita ars jubet.

Cum igitur hoc medicamentum prudenter exhibitum nequaquam possit nocere, artis officium exigit, id omnibus plurimum commendetur, ut fiant innumera experimenta, quæ conferantur inter se, comparenturque secundum omnia signa, symptomata, eventus; inquirentur dein rationes & causæ, cur in eodem morbo quandoque profit cicutam, & radicaliter curet,

curet, & cur autem quandoque nil efficiat.

Visa differentia, inventa rei causa clare patebit: quousque cicutæ efficacia se extendat, poteritque dein dari ratio: cur cicuta non in omnibus æqualiter agat, & tunc facile erit determinandum, quibus in casibus evidenter conveniat, in quibus præstet nihil.

His in ordinem redactis poterimus iis in casibus ubi cicuta iners est, de alio remedio cogitare.

Tali ratione cum ingenti reipublicæ emolumento limites nostræ artis ampliores fient.

Ego jam in aliquibus casibus, ubi cicuta id non præstitit, quod ex ea speravi, aliud remedium adhibui, nec in successu inanis fui.

Si hoc non sufficit : iterum aliud paratum habeo.

Sic per gradus ascendam , & spe maxima fretus sum , fore ut Deus optimus meos conatus , qui unice in proximi salutem fiunt , fecundet.

Adversariis meis hic sancte promitto : me eo majorem in hoc studii genere operam impensurum , quo magis ipsi conabuntur me turbare , impedire.

Dum recte facio , neminem timeo.

Licet cicuta sit remedium maxime innocuum , optarem tamen , quivis medicus semper a parva dosi inciperet , sensimque augeret.

Novimus enim quam miræ & diversæ sint hominum idiosyncrasia , hinc possent quidam esse , qui remedium minus ferrent.

Par-

Parva igitur dosi nemo peccabit, quoniam quivis bonus medicus, dum sinitri quid observat, abstinebit a remedio.

Verum bene semper est considerandum : an accidat id ex medicamento : an ex symptomatibus morbum concomitantibus , an ex errore in rebus sex non naturalibus commisso.

Sunt qui ex assumptis lapidibus cancerorum , qui certo remedium sunt innocentissimum , anguntur , vomunt , febre corripuntur , incidunt in animi deliquia , cur non & esse possent , qui , ex latente causa , a cicuta male haberent ?

Verum an ideo cicuta non est medicamentum ? an cicuta ideo debet damnari ? nemo prudens medicus ita cogitabit.

Si

Si usu cicutæ ægro cuidam damnum infertur, id profecto (si rem medice, & stricto sensuprehendamus) non in medicamentum applicatum, sed in errorem applicantis erit rejiciendum.

Sæpe aliena morbo symptomata junguntur, hinc tunc requiritur, ut & alia præter cicutam remedia præbeantur

Si spasmi urgent aut convulsiones, tunc desiderantur nervina, antihysterica.

Si dolores vehementes sint, necessaria erunt remedia paregorica, opiata; febris magna, & pulsus elevatus refrigerantia, nitrosa exigunt.

In nimia corruptione jungitur cortex peruvianus, aut si sub usu cicutæ oritur febris intermittens.

Sub-

Subinde purgatione opus est, subinde venæ sectione.

Nimius in hunc locum acrimoniæ affluxus fonticulum, aut setaceum postulat.

Neque externe debet semper fomentum aut cicutæ cataplasma apponi, verum mutanda ea sunt, secundum boni medici aut chirurgi iudicium & experientiam.

Si linteis carptis deligentur ulcera, tunc in auferendo debet magna cautela agi, ne adhærentia nudissimis vasculis filamenta vi avellantur, unde possent omnia lædi; oriretur hæmorrhagia, & inde sæpe caro fungosa propululat.

Omnia debent prius lenissimo cicutæ infuso, aliove apto liquido humectari.

Sym-

Symptomata magis urgentia sæpe jubent, ut cicutæ usus tam externus quam internus interrumpatur pro aliquo tempore, donec hæc curata fuerint, aut saltem mitigata.

Qui cicutam non ferunt, cum his palliative est agendum, quamdiu aliud remedium ignoramus.

Subinde ossa, tumores, scirrhi in suo meditullio maximum habent dolorem; observavi sæpius eo in loco tunc fuisse erosionem corruptionemve; corruptum autem a sano debet separari, id autem perfici non potest, nisi fiat apertura versus exteriora, hæc quandoque applicatione medicamenti chirurgici, aut instrumento chirurgico fieri debet, sæpe autem sponte fit ex usu cicutæ.

Pro-

Prodit tunc sanies, & fit ulcus cavum.

Rem minus intelligentes credunt talia ab usu cicutæ fuisse corrupta, erosive, ubi tamen, continuato in eodem casu cicutæ usu tam interno, quam externo, sæpillime sanitas perfecta sequitur.

Vidi aliquoties ex usu cicutæ quosdam in glandulis scirrhos esse solutos, in aliis autem partibus novos comparuisse.

Mirum id erat; verum ægri semper bene se habuerunt, unde pertinaciter idem remedium continuavi, & ægros restitui.

Talia peritum nunquam terrent: & ideo nequaquam debemus ilico mutare medicamentum.

In victu sunt farinacea non fermentata vitanda, ut & aromatica nimium acria.

Acida pro condimento conceduntur, prædominantia vero minus conducunt.

Vinum bonum iis, qui assueverunt, non nocet.

In parte affecta frictus, aut motus fortior plerumque malum augent.

Si ægri vivant in aëre puro, libero, & si mentem quocunque modo erectam, & hilarem conservent, multum ad curationem confert.

Tristitia, melancholia, mentis inquietudines curam retardant, impediunt, nova mala producunt, & sæpe ex scirrho faciunt cancerum.

Tem-

Tempus quo cicuta curet, & tumores resolvat, determinari non potest.

Etenim quandoque cito id perficitur, quandoque admodum lente.

Neque semper eadem tumorum, ulcerum, cancrorumque natura est.

Fœminæ ultra duos annos ob collicum tumores dedi cicutam magna dosi, nulla fiebat in his tumoribus mutatio, cum tamen menstrua longe liberius fluerent, vires essent majores, mens alacrior, totusque corporis habitus longe magis perfectus, rogavit ipsa ægra, ne sibi negem has pilulas.

Tandem post binos & dimidium annos fundebantur tumores, & omnia ad statum naturalem redacta sunt.

Nec diuturnus usus nocuit.

E

Aliam

Aliam foeminam habeo, quæ ob cancrum mammæ tantum mane sumit duo cicutæ grana, & sequitur adeo bona, & celeris mutatio, tumorisque diminutio, ut adstantes & ego admirerur, licet foemina sit septuaginta annorum.

Urina huic foeminæ copiosissime profuit, cum multo glutinoso sedimine; dum autem uno die a cicuta abstinet, pauca est urina, nec videtur sedimentum.

In morbis circa renes, vesicam urinariam, & urinæ vias data cicuta quandoque pulcherrimos præstat effectus.


Subinde curat urinæ retentionem, stranguriam; sæpe mingendi dolores opio citius sistit.

Nec

Nec in calculi affectionibus contemnendum est cicutæ extractum.

Ex his patet dignum esse, ut cum cicuta fiant experimenta.

Ego interim nullam ejus virtutem specificam assero, sed ad regulas formandas mutuam bonorum medicorum operam exspecto.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly obscured by the paper's texture and discoloration.





